
DE MVNDO ARISTOTELIS LIB. I.
PHILONIS LIB. I.
Gulielmo Budæo interprete.

OCELLI LVCANI
veteris Philosophi libellus, de vniuersi natura.



PARISIIS

M. D. XLI.

GVLIELMVS BVDAEVS IACOBO TVSANO S.

ARISTOTELIS librum de mundo nuper sermone latino cum scripsissem, huic Philonis librum eiusdem tituli agglutinandum censui, tanquam Herculi Theseum, aut profano Aristoteli potius Aristotelem initiatum: quãdo eodem in argumento, aut certe eiusdem tituli libro, eodem penè hic cùm illo stili genere, suppari etiam vsus acumine mihi sciẽtiáque videbatur. Siquidẽ Philo (quisquis hic fuit qui librum de Mundo scripsit: nã inclytum illum Philonem, qui Platonem facundia æquauisse dicitur, nequaquam eum fuisse mihi persuadeo) disserendo de mũdo, déque eius interitu aut æternitate constituendo, nõ tã Hebraicæ philosophiæ alumnus, mea quidẽ sententia, q̃ Græcorũ affectator esse viderió; meditat⁹ est. Scita enĩ amplex⁹ est nõ tã scholæ circũcisæ cõgruentia, q̃ religiõe oraculari solutæ ac liberæ. Et huius aũt & illius librũ è vulgatis tãtũ exẽplaribus verti, vt q manu scriptum nullũ vnq̃ viderim: id quod veniæ emerẽdæ gratia testãdũ existimaui, si id ĩ eã partẽ aliquatẽn⁹ valiturũ est. Veritus sũ ẽnĩ ne si in mẽdis deploratiorib⁹, aut si ĩ loco vno aut altero mutilato sens⁹ nõ cohæreat, iniqua cõditiõe alienã culpã præ-

ſtare ideo mihi cõtigat, ꝙ piclitari (vt aiũt) q̃ extra telorũ iactus conquieſcere malui. In quo tñ inſtituto nõ minus inertiæ præſidiũ patrociniũq; parata ſunt, q̃ induſtriæ inconſultæ geſtiẽtiq;, dedec⁹ & cõuiciũ. Verũ hos libellos cũ ędere mihi viſũ eſſet, ſerotinã for taſſe fœturã, nec ſatis iã viuidã, ne rationi q̃dẽ meę inſtitutóq; cõſentaneã: ſed tamẽ edere eos veterno excutiendo animíq; cauſa cũ ſtatuiſsẽ, amicitię q̃ tibi mecũ ĩtercedit vt di carẽ, cupide appoſitéq; feci, tuóq; ſub noĩe publicãdos tradidi: q̃ppe quo omniũ hominũ ordinis noſtri familiariſsimè iã vti cœpe rim, ĩ eo q̃dẽ negocio quod mihi adhuc reliquũ eſt cũ cultu literarũ elegãtiũ. Nullus certe vſqueadeo mihi cõmẽtãdi in eo genere vſum, aliquot iã annorũ inerti vacatione languẽtẽ & penè intermortuũ, viſẽdi, adhortandi, admonẽdi officio exuſcitauit. Quocirca cui libẽ:ius Philologiæ (vt ita dicã) priſtinæ noſtræ delitias penitiores mihíq; ſanctiores patẽfacerẽ, quales ſũt illæ cũq;, hominẽ habui adhuc neminem, inſpiciẽdas etiã ocioſe permitterẽ orbitrãdãsq; pro poteſtate. Idq; merito me feciſſe confido, nõ doctrinę modo tuæ merito, ſingularis & ingenuę, mihíq; exploratæ, ſed etiã acris, peruigilis, cõſtãtiſq; ſtudii quod publice fructuoſum eſſe futurũq; ſentio, mihi eo ampli⁹ priuatĩ iucundũ & opportunũ. Val. Cal. April. M. D. XXVI.

ARISTOTELIS
LIBER DE MVNDO

MIHI quidem sæpe diuina quædam res Alexander, ad mirationéque digna visa est Philosophia: præcipue vero ea in parte, in qua sola ipsa sublime sese tollens ad contemplandas rerũ naturas, magno illic studio contendit existẽtem in eis veritatem pernoscere. Et cum cæteri quidem mortales altitudine ipsa rei atque magnitudine deterriti, eo instituto abscessissent; dignum id inceptum esse duxit Philosophia, quod intrepide ipsa nec dubitanter aggrederetur: earum etiam rerum disciplinam sibi tum cognatissimam, tum maxime decoram arbitrata est. Siquidem cum per rerum naturam negatũ hoc esset homini, cœlestem vt in locum corpore se conferret, vtque veluti è terra peregre proficiscens, locum illum oculis perlustraret, id quod stolidi illi Aloidæ quondam facere institerũt: eo factum est, animus vt humanus huius vię ducem nactus intellectum, peregrinabũdus illuc importaretur. Ex quo euenit, viam cũ inuenisset Philosophia lassitudinis vacuam atque laboris, res vt inter se situ longissime seiunctas vna intelligentia complectęretur.

facile nimirum eas res noſcitans queiſcum ſibi naturalis intercedit neceſſitudo. Eadem etiam cum diuino animæ oculo diuinarum rerum naturam comprehendiſſet, hominibus ſubinde ea interpretari cœpit, quaſique antiſtitis officio perfungi. Id enim libens Philoſophiâ faciendum ſuſceperat, vt quas res cunque præcipuæ commendationis eſſe exiſtimaſſet, eas quoad eius fieri poſſet, inter homines erogaret: quibus vtique ipſis abunde atque prolixe conſultum ipſa cupiebat. Quapropter iſtos miſerari quiuis iure poſſit vt puſilli animi ſcriptores, res quaſlibet vulgóque expoſitas ſumma admiratione proſecutos, qui nobis vnius loci naturã, aut vrbis cuiuſdam formam ſitumque, aut magnitudinem fluminis, aut denique amœni montis aſpectum deſcribere inſtituerunt: cũ interim magnifice de ſemetipſis ſentiant ob exilem quampiam naturæ perceptionem. Cuiuſmodi nonnulli magno illi quidem ſtudio fecerunt, accurata vt dictione deſcriberent, hic Oſſam montem, ille Nyſſam, alii Coryceum ſpecum, alii quiduis eorum quæ inter orbis particulas cenſentur. Id quod ideo euenit, ꝙ illis maiora vidiſſe non contingit, mundũ ſcilicet & præcipuas eius partes. Haud quaquam enim illi tantopere quælibet admirarentur, ſi hiſce contemplandis incubuiſſent legitima contentione,

omnia vero & parua & floccifacienda duxissent, duntaxat præut extat horum excellentia. Proinde dicere ipsi aggrediamur de iis omnibus vniuersim collectis: quamque fieri potest maxime, theologica commẽtatione edisserere, quænam sit cuiusque horum natura, situs, motus. Tibi vero, vtpote imperatorum præstantissimo, hoc quoque decorum cõsentaneumque esse arbitror, cũ maximarum rerum cõmentationem animo consectari, tum vero ex Philosophiæ studio nihil iã non grande animo agitare, optimates etiam viros iis reb⁹ inuitare, quib⁹ rebus ipsi ab eadẽ munificè prędito esse contigit.

Mundus M VNDVS est compages è cælo terraq; coagmentata, atq; ex iis naturis, quæ intra ea continentur. Dicitur etiã aliter Mundus, & ordo & digestio vniuersorum, quæ à deo, & per deum asseruatur. Huius situm medium immotum & stabilem Terra vitæ fœcunditate prædita, sortita est: animãtium quidem illa omnifariam distinctarum sedes & parens. Huius vniuersitatis suprema pars omnis, omnem in partem finita est & terminata. Cuius id quod in celsissimo loco situm est, Cælum dicitur, dei domicilium. Hoc quum diuinis corporibus plenum sit, quæ Sidera nos appellare solemus, motúque sempiterno agatur vno circumactu, orbisque ductu eodem, perenni vtique in æuum tenore rapta secum illa circunagit corpora ad numerum, in mo remque præsultoris. Vniuersi autem mundi cæliq; globosa (vt dictũ est) forma cõpacti, iugiq; vertigine exagitati, duo eẽ pũcta necesse est inter se è regione obuersa, itidẽ atq; si globus in torno circũagatur: stabilia quidem illa, globumque continentia: circa quę mundus vniuersus vertitur. Hos Vertices appellãt aut Cardines. Per quos si lineã rectam ab vno ad alterum porrectam intellexeris, quam nonnulli Axem vocitant, erit hæc vtique mundo linea dimetiens, ita vt terram

Terra.

Sidera.

Vertices & Cardines.

Axis.

in medio, ambos autē cardines habeat pro terminis. Qui quum ipsi fixi sint & inmoti, alter eorum semper sublimis apparet super verticem, ad tractum cæli Aquilonarem: ab Vrsa appellatus Arcticus. At infra terram alter semper conditus circa tractum Australē: Antarcticus dictus est, vt contrarius Arctico. Cæli porrò siderumq́ue substantiam appellamus ætherem: non quidem ideo quòd ignita flagret ipsa, vt aliqui censuerunt (plurimum vtique aberrantes circa potentiā illā maxime ab ignea natura abhorrentem) origine vero huius vocabuli inde ducta, quod semper æther currat motu circūductili. cum sit illud elemētum à quatuor illis diuersum: tum diuinum, tum interitus expers. Eorum vero siderum quę intus cohibentur, ea quæ errationis nescia sunt, cum cælo circumferuntur: easdem vtique sedes, positúsque eosdem tenentia. Quorū medius circulus (cui Signifero nomen est) dues per orbes transuersus cœlum cingit, qui à conuersionibus ipsi Solis, Topici quasi conuersionales appellati sunt, in duodecim ille quidē regiones totidem signorum diuisus. At vero quæ Erratica dicuntur, nec eadem ipsa celeritate cum prioribus moueri suapte natura cōparata sunt, nec inter se inuicem: sed in aliis atque aliis orbibus: ita vt orbium ipsorū partim propius terram accedant, partim subli-

Arcticus. Antarcticus. Aether. αἰθὴρ ὁ ἀεὶ θέων. Stellæ fixæ. Signifer. Tropici. Planetæ.

me ferantur. Et statariorum quidem numerus iniri prorsus nequit ab hominibus: tametsi omnia eadem in superficie moueantur, quæ vnica est totius cæli. At vero errabũdorum numerus septenario collectus, in totidem orbibus situs est deinceps substitutis: ita vt subinde inferior superiore minor sit, septémque orbes sese complectentes inuicẽ atque coërcentes, à globo denique siderum inerrantium comprehendantur. Huic porrò globo contiguam habet semper posituram, Phænontis simul & Saturni circus dictus. Cui proximus est Phaëthontis, qui & Iouis appellatur. Post hunc sequitur Pyrois, Herculis idem Martisq; appellatus. Ab hoc rursus est Stilbon, qui sacer Mercurio esse creditur, à nonnullis etiam Apollini. Secũdum quem Luciferi orbis est: quem Veneris nõnulli orbem, quidam Iunonis vocant. Ab eo est orbis Solis. Et deniq; lunæ nobis citim⁹, ad terram vsq; fines suos proferens. Aether vero cũ diuina contineat corpora, ratas etiã uices motuum complectitur. At verò ætheriæ diuinæque naturæ, quam certa lege constare demonstrauimus constitutísque vicibus, mutabilitatis etiam immunem, atq; in aliam aliámque speciem conuersionis: confinis est natura patibilis prorsus & vertibilis, atq; (vt in vniuersum dicam) solubilis, & obnoxia. Cuius etiam ipsi⁹ principia obti-

Planetarũ nomina & posituræ.

Aether.

neri substantia tenuitate particularum prædi ta, flammulisque ignita: quas ætherea natura magnitudine sua excitat, & motus celeritate. Iam verò in natura ipsa ignita, eademque incondita appellata atque incomposita, tum fulgores emicant, & iacula traiiciuntur flagrantia: tum trapeculæ, foueæ, & crinitæ fixæ visuntur, & sæpe restinguuntur.

Hanc naturam excipit Aër illi substratus: suopte ille quidem ingenio caligine & gelu permixtus, cæterum illustratus agitatione atque succensus, vnde calorem concipit & claritatem. In hoc autem ipso vim patibilem sortito, omnifariámque in aliam aliámq; naturã cõmeare natura cõparato, nubes concrescunt, imbres cum strepitu decidunt, niues, pruinæ, & grandines: flatus etiã ventorum tempestatúmq; cientur: simul tonitrua & fulgetra existunt: fulmina inde casitant: sexcentæ denique ibidem conflictationes aëriæ opacitatis fiunt. Aër.

Ab aëria porrò natura, Terra protinus & Mare situm habent fixum & affirmatum. Stirpibus illa quidem animantibúsque scatens: fontibus etiam & fluminibus, partim per ipsam lapsus suos implicantibus, partim aquas suas in mare eructãtibus. Insuper ipsa distincta, simul innumerarum herbarũ indidem enascentiũ varietate, fructificantiúmq; simul montium verticibus, nemorum opa- Terra.

citatibus, vrbiúmque frequentia, quas animantes sapientiæ participes, Homines scilicet, condiderunt: insuperque insulis maritimis, atq; continentibus. Orbem verò terrarum, hominum ferè sermo in insulas diuisit & continentes, scilicet ignorantium, vniuersam ipsam terrã insulam esse vnicã. Atlantici maris ambitu circundatã. Multas autem & alias longe quidẽ illas summotas, sed tamen veluti dirimẽte freto huic ipsi esse obuersas, non absimile veri est, partim hac maiores, partim etiam minores, sed quarũ nulla præter eam sub prospectum nostrum sita sit. Nam quod insulis nostris accidit, vndiq; vt nostra maria eas alluãt, idem orbi quoq; huic contigit, rationẽ insulæ vt obtineat Atlantico mari cinctæ. Complures item alii terrarum orbes eadem positura constantes, insulæ naturam habent in vniuerso mari sitæ: quod latissime patet. eorúmque nonnulli prægrandes. prægrandibus quoq; ipsis maribus circũfusis. Enimuero humoris vniuersi naturam finitimam merito esse censeas naturæ animabili & aëriç, ita vt ipsa innatabũda existere terram faciat per quasdam saxosas eminentias, quas habitabiles vocamus: postquam protinus in imis mundi partibus & summersis, atq; in medio maxime mũdi, vniuersa iam terra stabiliter defixa cõpressáq; ita costitit, vt immota permaneat atque

Orbis terrarum diuisio.

Plures terrarum orbes.

Vniuersas inferna.

illabefactabilis. Atq; hæc est mundi vniuersitas, quã Infernam appellamus. Quinque igitur hæc eleméta in regionibus totidẽ globose incubãtia, mundum ipsum ita totũ coagmentarunt, minor vt deinceps atq; minor regio à maiore cohibeatur: terra (verbi gratia) vt ab aquæ globo, aqua ab aëris, hic ab ignis, ab ætheris deniq; globo ignis coërceatur: cũ interim supremã regionem, Deorum fecerint domiciliũ: infimam animalium in diem victitantium. Huius porrò id quod liquore constat, flumina & scaturigines & maria vocare consueuimus: quod aridũ est, terram & continentes insulásque nominamus. Quinq; eleméta.

Iam insularũ nonnullæ grandes sunt, veluti hæc cũcta habitabilis à nobis iam dicta est, aliæque quas ingentia maria vndis ambiunt circumfluis: aliæ minores, nobis notæ & intestinæ. Quarum rursus quædã memorabiles, vt Sicilia, Sardinia, Cyrnus, Creta, Eubœa, Cyprus, & Lesbos: quædam longe exiliores, tum Cyclades, tum Sporades, tum aliæ aliis nominibus nuncupatę. Porrò autem pelagus quod extra orbem nobis habitatum fusum est, & Atlanticum dicitur & Oceanus: à quo ipsi circumluimur. Qui in faucibus ipse angustis, quę vergunt ad Occidentẽ veluti via patefacta, qua parte Herculis colũnæ vocitatæ sunt, eliso fluxu irrũpẽs. Mare interius efficit, fermè vt dicere cum Insularũ partitio. Atlanticum pelagus. Ocean⁹. Herculis colũnæ. Mare interius.

possis in portum se recipere. Sensim deinde amplior infunditur: sinus interea ingentes complectens inter se cõtingentes, angustis etiam ceruicibus in fauces sese comprimens, vicissimque latius expatians. Ac primum quidẽ insinuari dicitur dextrorsus ab Herculis columnis intro nauigantibus, circa

Syrtes. vtranque Syrtim: alteram earum magnã, paruam alteram vocant. At verò in alteram partem non iam itidem sinuosus inundans, efficit tria maria, Sardoum, Gallicũ, & Hadriam. A quibus continuo Siculum sequitur, porrectum in obliquum: quod & ipsum excipitur à Cretico, Cretico coniuncta sunt parte altera Aegyptium, Pamphylium, Sy-

Pontus. rium: altera Aegæum & Myrtoum. At Pontus, velut antedictis obiectus, atque ex aduerso protensus, multis partibus constat.

Mæotis. Pars eius in intima penetrans, Mæotis appellatur. Quæ autem ad Hellespontum ver-

Propõtis git, in fauces contracta est, quam Propontidem vocãt. Rursus ab ortu Solis in orbem terræ exundãs Oceanus infert sese, velut in medium procedens, Indico sinu Persicóque perfosso, finitimum Mare rubrum intercipiens. Ad alterum autem cornu simul atque oblonga ceruice angustáq; penetrauit, rursus amplificatus Hyrcaniæ fines Caspiæque amplectitur. Mare verò quod super Hyrcaniam est, vastum illum obtinet locum, qui

est super Mǫotin paludem. Tum autem qua parte Scythas Celtásque complectitur, sensim astringit orbem terrarum adusq; sinum Gallicum, supradictásque columnas, extra quas Oceanus terram fluctibus suis oberrat. Quo ipso in mari insulę duę sitę sunt quàm maximæ, quas Britannicas appellant, Albium & Ierna: iis etiam maiores, quas commemorauimus supra Celtas iacentes. Queis tamen ipsis magnitudine nec Taprobane cedit, nec ea cui Phebol nomen est? illa super Indos posita, situ ad terrarum orbem inflexo: hæc ad Arabicū sinum. Sunt etiam non paucæ, sed exiguæ, circa Britannicas & Iberiam, quæ quasi corona cingunt hunc orbem hominum domicilium, quem superius insulam esse disseruimus. Huius orbis latitudo quâ continens est amplissima, paulo minus quadraginta millia stadiorum patet, vt quidem perhibuerunt autores rectæ & exquisitæ geographiæ: longitudo ad septuaginta millia. Diuiditur porrò in Europā, Asiam, & Aphricam. Europa his finibus circumscribitur: Herculis cippis. Ponti recessu, Hyrcano mari: secundum quam angustiæ Isthmi similes ad Pontum vsque pertinent. Nōnulli tamen ab illo Isthmo Tanaim fluuium Europæ terminum esse dixerunt. Asia est quicquid terræ situm est ab Isthmo iam dicto, à Ponto Hyrcanóq; mari, ad Isthmū

Insulæ maiores.

Orbis latitudo & longitudo.

Tres partes orbis.

vſque alterum,qui Arabicum ſinum interia cet & mare interius,illum quidem cohibitũ ab eo mari,& ab Oceano,qui eum complectitur ambitu. Sunt qui fines Aſiæ ſtatuant ſpatium,quod à Tanai protenditur ad Nili vſque oſtia. Aphrica ab Arabico Iſthmo,ad columnas Herculis porrecta eſt: vel vt alii cenſuerunt, ab Nilo. Nam Aegyptii quicquid Nili oſtiis ſeptum eſt,alii Aphricę,alii attribuunt Aſiæ: inſuláſque tribus terrę partibus adiacentes, ſcriptorum partim vt exemptiles ab orbe terrarum recenſuere: partim vt contributas iis partibus, quibus earũ quæque vicinitate coniuncta eſt. Proinde terræ mariſque naturã ac ſitum huiuſcemodi prodenda cenſuimus,quem habitatũ orbem appellare conſueuimus. Quas res autem tũ in eo orbe,tum circa eũ exiſtere contingit,quibus ille rebus quodammodo afficiatur: earum ipſarum rerum vt quæque maxime commemorandæ videbuntur, dicere porrò aggrediamur, ſummam quandã colligentes eorum quæ ſunt neceſſaria.

Exhalationum duo genera.

Duas igitur exhalationes ab eo ſurſum ferri nouimus in aërea nobis impendẽtem: tenues illas quidem omnino,nec nobis cõſpicuas, niſi ſiquid eſt huiuſcemodi ad tractus Oriẽtales, & præter ea quæ ex amnibus & locis irriguis ſublimia ferri videntur. Earum autem exhalationum altera ſicca eſt, in fu-

múmq; cõformata, è terra manans: altera humida, rosidæ expirationis plena, ab humida natura exhalata. Ex hac nebulæ, rores, & gelu omne genus, nubes, pluuiæ, niues, & grandines oriuntur. A sicca autem illa, venti & flatuum differentiæ exoriũtur, tonitrúsque & fulgura, turbines & fulmina, aliáque his cognata. Nebula est expiratio quædã rosida, aquę nequaquã genitrix, vt aëre crassior ipsa, sic nube rarior. Gignitur vel ex nubis primordiis rarescentib. vel ex reliquiis nubis. Huius aduersaria, vt est, ita esse dicitur Serenitas: nihil aliud ipsa existens, q̃ aër nubibus nebuláq; vacuus. Ros est humidum quid è serenitate concretũ, minutimq; delabens. Glacies est aqua conferta à serenitate compactilis. Pruina ros est concretus. δροσοπάχνη cõposito nomine dicta est, ros semiconcretus quasi ros pruinosus. Nubes est crassamentũ exhalationum conuolutum, vim habens aquæ gignendæ. Imber fit expressione nubis magnopere addẽsatæ, tot habens differentias, quòtuplex est nubis cõpressio: quippe quæ remissa si fuerit, molles stirias dispergat: sin vehemẽs, pleniores. Hocq; appellamus pluuiam, imbris contorta stillicidia, cùm maiuscula ipsa, tum verò iugi tenore casitãtia. At verò nix gignitur densitate nubium friatili, quæ simulac in aquam verti cœptæ sunt, in minuta contun-

Nebula. Serenitas. Ros. Glacies. Pruina. δροσοπάχνη. Nubes. Imber. Pluuia. Nix.

duntur:cum eo,vt illa contusio speciem spumæ,exactumq; candorem,humoris autem, qui inest,concretio,quique nondũ fusus est nec rarefactus,rigorem efficiat. Hæc impetu & cõfertim decidens, νιφετὸς appellatur.

Νιφετὸς

Quo genere volutim cõtorto,libramen túmq; ex compressu capiẽte ad celeriorem lapsum, fit quæ grando vocatur: cũ interea pro fragmentorũ magnitudine quæ abrumpuntur,tum corpuscula maiora grandinis, tum delapsus violentiores fiant. Atq;hæc quæ hactenus dicta sunt,naturæ vi ab humida expiratione euenire comparatum est.

Grando.

A sicca verò tum ventus oriri solet, cum à frigore ita, vt fluat, illa truditur: nihil vt aliud ventus sit, nisi aër multus fluctuans & coactus: qui etiam Spiritus appellatur, quũ alioqui spiritus appelletur substantia animata & genitalis,in stirpib⁹ atq; in animantibus existens,per omniaq; pertinẽs: de qua nunc disserere nihil necesse fuit. Flatus verò qui in aëre spirãt,vẽtos,auras, expirationes dicimus quæ ex humore ꝓdeũt. Venti qui è terra vliginosa & humefacta ꝓdeũt, ἀπόγαιοι,quasi terra oriũdi:qui è finibus ꝓsiliunt, ἐγκολπίαι,quasi sinuales vocãtur:inter quos ipsos,eosq; qui è fluminibus erumpunt,ex aquisq; stagnãtibus, intercedit nõnihil proportionis. ἐκνεφίαι appellãtur,qui in fractura nubis,resoluẽdáq; eius crassitu-

Ventus.
Spiritus.
Flatus.
Aura.
Expirationes.
Ventorũ genera.

dine collidũtur inter se, quasi quidã Nubigenæ. ἐξυδρίαι quasi aquatores dicũtur, qui cum pluuiis aquis grassantur, impetu & confertim effusis. Et ii quidem qui ab Oriente, iugi tenore perflant, εὖροι & Vulturnii: qui ab Vrsa, βορέαι & Aquilones vocantur. ζέφυροι & Fauonii, qui ab Occasu: qui à Meridie, νότοι dicuntur & Austri. Vulturnorum porrò is καικίας dictus est, qui nascitur ad ortum solstitialem: Subsolanus ad æquinoctialem: ad brumalé Vulturnus. At eorũ qui ex obuersa parte prodeũt, quos Phauonios vocamus, ἀργέστης & Corus ab occasu solstitiali, qui etiam ὀλυμπίας ab aliquibus dictus est, & ab aliis ἰάπυξ. Fauoni⁹ ab æquinoctiali, Africus ab hyberno oritur. At verò Aquilonum is qui καικίας cõiunctus est, peculiariter appellatur Aquilo: qui autem hunc à vertice statim excipit per Meridianum spirans, Septentrio dicitur. θρασκίας deinceps à Coro spirat, quem nonnulli Cæciam appellauerunt. Rursus ex Austris is qui à vertice nobis condito sese infert ex aduerso Septentrionis, Auster nominis prærogatiua dicitur. Qui inter hunc & Vulturnum est, εὐρόνοτος est vocitatus: quasi dicas Vulturnauster. Aut qui spirat altrinsecus inter Aphricum & Austrum, hunc alii λιβόνοτον, quasi Africaustrum: alii λιβοφοίνικα vocant. Ventorum porrò quidã flatus re-

Ventorũ nomina.

Ventorũ flatus.

ctos: quidã reflexos habent. Rectos habent ii qui lineis rectis ſemper graſſari ſolẽt. Reflexos & refractos, vt is quem καικίαν nuncupant. Rurſus quidam hyeme pollent, vt Auſtri: quidam æſtate, vt ἐτησίαι qui dicuntur, id eſt, anniuerſarii, cinnum quendã conficientes Septentrionum atque Subſolanorum. ὀρνιθίαι, quaſi Auiarii, venti quidam dicti ſunt ex Aquilonio genere, verno tempore inualeſcentes. Cæterum è genere violentiorum flatuum, καταιγὶς nomen eſt flatus ingruentis ſuperne, repentéque euerberantis. θύελλα flatus eſt præualens, qui repente proſilit. λαίλαψ & στρόβιλος nuncupatur, qui inferne ſurſum verſus repente conuoluitur. ἀναφύσημα quaſi efflatus terræ, dicitur ventus ſublimem ſeſe rapiens: cum aut

Turbo. è ſpecu altius depreſſo flatus emicuerit, aut e terra in hiatum diſcedente. Qui Turbo terreſtris eſt tum, cum multus ac contortus ferri cœptus eſt. Flatus verò in nube implicitus & craſſa & humida, continuatũ nubis ſpiſſamentũ violenta eruptione perfringens, mugitum edere cum ingenti fragore

Tonitru. ſolet, qui Tonitru dicitur: modo haud abſimili ſpiritus vehementer in aqua impulſi.

Fulgetra Fulgetra eſt ſpiritus ignitus & coruſcans, dum nubes dirumpitur. Quæ tonitru antecedere ſolet, cum tamen poſt ipſum fiat. Siquidem quod oculis percipitur, ei quod au-

ribus obiectum est anteuertere natura comparatum est: quippe illo è longinquo aspectabili, hoc tum demum exaudibili, quum auribus appulsum sit. Præsertim quando alterum omnium naturarum celeritate maxima præditum est, ignita scilicet natura: alterum minus volucre, quod est naturæ spirabilis & aëreæ, non antequàm aures pepulerit, ad auditum peruenit. At verò quod fulserit, si ad terram vsque cursim illisum sit, Fulmen vocatur. Sin semiustum quidem, sed vniuersum tamen violentúmque incubuerit: πρηστὴρ hoc est accensus turbo dicitur. Quod si prorsus ignis nihil interim conceperit, τυφὼν vocatur, qui est vertex procellosus & euerberans. Horum quicquid in terram impetu decubuerit, σκηπτὸς, id est Fulmen, nominatur. Qui ψολόεις dicitur, cum fuliginem contraxit: ἀργὴς si raptim emicuerit: ἑλικίας, si lineari specie conformatus est. σκηπτοὶ dicuntur quæcunq; fulmina, in quiduis illisa sint. Ad summã, eorum quæ in aëre apparent alia specietenus existunt; alia etiã habent naturæ subsistẽtiã. Speciem tantum exhibent arcus cœlestes, & virgulæ, aliáque huiuscemodi. Substantiã etiã apparent fulgores cœlestes, & quos emicãtes vocamus, & Crinitæ stellæ, & iis similia. Arcus est species segmenti solaris vel lunaris, edita in nube humida, & caua, & perpetua: quàm

Fulmen.

Præster.

Typhon

σκηπτὸς.

Arcus.

velut in ſpeculo intuemur, imagine relata in ſpeciẽ circularis ambitus. Virga eſt arcus cœleſtis exhibitio in directũ conformata. Area eſt edita imago ſidereę claritatis vndique illuſtrata: hactenus arcu differens, quod ille è regione Solis ac Lunę viſendũ ſe exhibet, quũ area ſid⁹ totũ ambitu cingere orbiculari ſoleat. Fulgor eſt ignis collectio qui in aëre exarſit: per cælũ ille quidẽ aut iaculari ſpecie trãſmeans, aut vno loco fixus. At Eiaculatio, ignis eſt enat⁹ attritu, in aëre pnici motu inuehẽs, ob eamq; pnicitatẽ oblõgam formã ſimulãs. Fulgor fixus eſt extẽſio longe porrecta, & loco pmanens, & tanquã profluuiũ ſideris. Quod ſi in alterã partẽ dilatetur, Crinita ſtella vocatur. Sæpenumero autẽ euenit, vt fulgores tempore multo maneant, ſæpe vt cõfeſtim extinguãtur. Cõplures item & aliæ rerũ formæ cernuntur in cælo apparentiũ, vt quę Faces, quę Trabeculę, quæ Dolia, quę Scrobes nũcupantur: omnia ab earũ rerũ ſimilitudine appellata, vnde nomina mutuata ſunt. Eaq; partim in occidua mundi parte, partim in Oriente cernuntur, partim etiam ambiguo in vtranque partem editu: raro vel Septentrionali, vel Auſtrino. Cæterum omnia incerta. Quippe nihil huiuſcemodi hactenus proditũ eſt memoriæ, ita fuiſſe conſtabilitum rato ſitu & conſtitu to, vt ſemper conſpicuum fuerit. Atq; huiuſ-

Virga. Area. Fulgor. Eiaculatio. Crinita ſtella.

cemodi ſunt, quę in natura animabili aëriáque fiunt. Iam verò terra cõtinet etiam ipſa in ſe, vt aquæ, ita ſpiritus ignisque ſcaturigines: quarum quædam ſub terra latent, oculis humanis ſubductæ: multæ ſpiracula habent emiſſariáque vaporis, vt Lipara, vt Aetna, vt Aepliæ inſulæ. Quæ quidẽ ſæpe & ipſæ fluminum more fluunt, ignitásque ferri glebas euomunt. Nonnullæ verò huiuſmodi ſcatebræ ſecundũ fontes ſitæ, aquas inde manantes calefaciunt, aliquæ inde vt tepentes, efferuefactæ aliæ, quædã modice temperatæ vt emittantur. Multis etiam in locis orbis, exitus ſpirituũ pari ratione patefacti ſunt. Quorum partim fanatico furore afficiunt homines propius accedenteis: partim tabifica vi abſumunt: partim fatidicos efficiũt, vt Delphici & Lebadici. Sunt & qui prorſus enecent, vt in Phrygia. Frequẽter fit etiam, vt congenitus ſpiritus in terra cõditus, cum aberrans inſinuarit in abſtruſos quoſdam eius atque cæcos meatus: quaſi ſedibus ſuis erumpens, multis in locis vibrãtem motum cieat. Eſt etiam, nec raro, cum flatus aduena, introrſus in terræ caua irrumpens, deinde exitu omni excluſus, intus ſeſe verſando ingenti vi terram quatiat, nequicquam exitum inde quæritans. Ex quo fit naturæ facinus, quod vocamus Terræmotum. Terræmotuum autem ii, qui ad angulos acu-

Spirit⁹ & ignis ſcaturigines.

Aquæ calidæ.

Spiracula terræ.

Terræmotus.

tos in obliquũ quatiunt. ἐπικλίνται appellantur, quasi in trãsuersum se agẽtes. Sursum verò deorsúmq; ad angulos rectos iactãtes, βράσται vocãtur, à similitudine aquę efferuescentis. At qui labes terræ relinquũt in caua subsidentis, ab hiatu χασματίαι nominati sunt. Quẽ hiatũ ii qui vi eruptione facta patefaciunt, ῥῆκται. i. effractores, dicti sunt. Iã horũ aliqui flatũ secum erupturum rapiunt, alii saxa, alii cœnũ. Sunt qui fontium scatebras edidere, quę antea nõ erant. ὦσται. i. trusores, vocant, qui vno obnixu subuertũt qđ impulerunt. Sunt etiã qui quassabundi atq; vtroq; declinãtes vibrãtésque, quod mouerint semper erigunt: ob id παλματίαι, hoc est vibratores, dicti. efficiúntque terræmotũ tremoris non dissimilẽ. Appellantur etiam μυκητίαι, terræmotus qui cũ mugitu quatiunt, indito ob id nomine. quanquam sæpe terrę mugitus absq; terræ motu cõtigerit. id quod assolet, quũ spũs impar quatiẽdæ terrę fuerit, intusq; cohibitus ac cõuolutus arietarit impetu vehemẽti. Adde quod flat⁹ qui terrã subierint corroboratiores fiũt à liquoribus terrenis qui intus conditi sunt.

In mari quę eueniant.

Proportione his respõdent ea quę in mari eueniunt. Nã & hiatus fiũt maris & recessus, vndarúmque excursiones interdũ reciprocantes, interdum eluuie retro non recurrente. id quod proditũ est circa Burã Helicemq; cõ-

tigiſſe. Sæpenumero etiam in mari euaporationes ignis exiſtunt, fontes excaturiunt, oſtia fluuiorum aperiuntur, arbores enaſcuntur, fluxiones & vortices exiſtunt, inſtar eorum habentes quæ à flatibus deſignari dictũ eſt, non in medio mari modò, ſed etiam in euripis & in fretis. Aiũt etiam multos æſtus vndarumque ſublationes ſtatis quibuſdam temporibus cum Luna circunagi. Atque vt in vniuerſum dicam, cũ elementa in aëre, in terra, & in mari, commoda inter ſe temperatura mixta ſint: nimirum affectionum quoque ſimilitudines iiſdem cõſtant in ipſis: in ſingulis illæ quidem naturis ortus alternantes, & interitus, vniuerſitatem vero aſſeruantes generationis immunem atque corruptionis. Tametſi extiterũt, qui ſeſe admirari addubitabundi dicerent, qui fieri tandem poſſet, ſi è principiis contrariis mundus conſtitit (ſiccis dico & humidis, frigidis & calidis) vt iamdiu nõ diſſolutus fuerit atque interierit. Perinde quaſi mirari quiſquam debeat, quonam pacto ciuitas incolumis perduret, quæ è gentibus contrariis compoſita ſit: egenis inquam & diuitibus, iuuenibus & ſenio confectis, infirmis & valentibus, prauis atq; innocentibus. Ignorantia eſt iſta vtique hominum, hoc eſſe in concordia ciuili non videntium longe admirabiliſſimum, quòd ex multis ipſa vnum efficit affectum, & è diſſi-

milibus, similem, omnis illa quidem naturę susceptrix & fortunæ. Atque haud scio an etiam contrariorum appetens sit natura: ex eisque consona, non item è similibus conficiat. Sic certe ipsa marem cum fœmina con iunxit, non etiam cum suo horum vtrunque sexu. Quin primam etiam concordiam per contraria, non per similia deuinxit. Adde quod ars naturæ æmulatrix, hoc îdem facit. Siquidem pictura alborum nigrorumq; colorum, luteorumq; & rubrorum naturas inter se attemperans, effigies rerum efficit consonas exẽplaribus. Musica acutis & grauibus sonis, longisque & breuibus vna permixtis in diuersis vocibus, vnum ex illis cõcentum absolutum reddidit. Grammatica ex elementis vocalibus & mutis inuenta tẽperata, artem omnem literaturæ ex illis compositam reliquit. Hocque nimirũ illud est, quod apud Heraclitum legitur Scotinũ ab obscuritate cognominatum. Crispa (inquit) & minime crispa vna vinxeris, consentiens & dissentiens, consonans & dissonans: vnum etiam ex omnibus, omniaque ex vno. Itaq; vniuersorum coagmentationem (cæli inquã & terræ & vniuersi mundi) cinno quodam principiorum summe contrariorum commode attemperato, natura ipsa digessit, vna eademque concinna cohærentia: quippe siccũ humido, calidũ frigido, graui leue mix-

Natura cõtrariorũ appetens.

Ars naturæ æmulatrix.

Heraclitus. Scotinus.

tum, & rectum orbiculari. Terram etiam omnem, omne mare, ætherem, Solem, Lunã, & postremo totum cælũ, vis vna per omnia pertinens, certo ordine descripsit, concinnéque digessit, è diuersis ipsa naturis atque impermixtis, aëre, terra, igne, & aqua, mundum architectata. Quũque cum etiam globosa superficie comprehendisset, naturas quàmmaxime contrarias, veluti edicta concordia & imperata, astrixit ad cõsensum mutuumque commercium: cuiusmodi rerũ molitione vniuersitati ipsi salutẽ machinata est. Huius autem rei causa est concordia elemẽtorum. Concordiæ porrò causa est æquabilitas, & quod alterum altero nõ plus pollet. ad æquilibrium enim adæquãt grauia cum leuibus, calida cũ iis quæ ipsis opposita sũt: Natura vtiq; nos docẽte in maioribus, ęqualitatẽ tutricẽ esse cõcordiæ & seruatricẽ: Cõcordiã autẽ mundi esse salutẽ, rerum omniũ parentis, ac lõge omnibus præstãtis pulchritudine. Nam quæ tandem natura præstabilior ipso? Quã enim dixeris cũq;, eius vtique ipsius mũdi pars erit. Nã quicquid pulchritudine præditũ est, id quasi gentile mũdi habet cũ eo nominis societatẽ, adeò quod recte atq; ordine cõstitutũ est, id à mundi nomine cõcinne digestũ gręco sermone, cõsentaneáq; partiũ compositione speciosum esse significatur. Ecquidnã est autẽ singularum

Elementorũ concordia.

Aequabilitas concordię seruatrix.

κόσμος.

Mundi

ornatus. partium, quod cum eo æquiparari possit ordine, quo cælestis motus temperatus est & constitutus? Sole vtique & luna, reliquis itē siderib⁹ intra spatia se mouētibus exquisitissime emodulata à seculo in seculum alterū. Age ecquæ tandem vices tam ratæ esse possunt, quàm est exacte comparatus à natura tempestatum anni tenor in orbem redeuntium. omnium ille quidem rerum fœcunditate præditus, æstates deinceps hyemesque referens temporibus destinatis: simul dies & noctes inoffensis uicib⁹ alternātes, è quibus menses annusque conficitur. Ac magnitudine quidem ambitum longe summū cōplexus, motu pernicissimo circunagitur, claritate syncerissima præditus: vi etiam potentiaque fretus exorte vt senii sic interitus. Hic omnium animantium naturas tum aquatilium, tum pedestrium, tum etiam in elemēto spirabili victitantium segregat: iisq; spatia vitæ suis admetitur motibus. Ex hoc animam ducunt omnia, ab hoc animam habēt animantia: ex hoc denique miracula rerum nouarum existunt, quæ statis temporibus efficiūtur. Vis ventorū omniuaga in se ipsa cōflictatur, fulmina è cælo cadūt, pluuiæ ꝓcellosę atq; stupēdæ subitos fragores ędunt. Vnde fit vt & vi humoris expressa, & vi ignea difflata constituatur vniuersi concordia. Iā vero terra omni genere vestita stirpium fru-

ticantium, riguisque exuberans large erum pentibus, trita vestigiis animantium quæ in ea passim circunferuntur: omnia tempestiue proferens ex sese & vegetans, hospitalisq; sinu excipiens. Cum innumeras ipsa rerum formas perferat, ab eisque multipliciter afficiatur: nihilosecius tamen naturam asseruat indomitã senectute, quamlibet ipsa motibus contremefacta, vndis superfluentibus proluta, incendiis denique inflammata, modo hac, modo illa parte sui. Quin etiam illa ipsa omnia censeri merito possint incolumitatis eius causa commode euenire, salutemque illi sempiternam præstare. Siquidem ea motu quassata, continuo prosiliũt venti qui introrsus insinuarant: vtique spiraculis terrarũ discessibus patefactis, vt superius dictũ est. Imbribus etiam tum expurgatur, cũ omnia pestifera in ea abluuntur: ad syncerioremque constitutionem super subterque tũ reducitur, quum auris perspiratur. Et conflagrationes quidem quod concretius est terræ, concoquunt: congelationes item quod inflammatum est, id attemperãt ipsæ atque remittũt. Ac singularum quidem rerum aliæ oriuntur, aliæ vegetantur, & aliæ occidunt: cum interim ortus compescant grassanteis interitus, rursusque interitus rerum leuent ortus exhuberanteis. Vnica vero ex omnibus conflata incolumitas permanet ipsa in

æuum: quum inter se rebus ex aduerso obsistentibus, & cedentibus vicissim atque prę-ualentibus vniuersitas conseruetur in sempiternum, noxam nullam contrahens. Restat vt summatim de causa disseramus, quæ cunctarum ipsa rerum vim habet tutricẽ & continentem, quemadmodum cætera perstrinximus. Flagitii enim instar esset, cũ de mundo dicere instituerim, tractatu si minus exquisito fortasse, at certe qui sat esse possit ad formulã doctrinæ crassiorẽ, intactã præcipuam mundi partem principẽq; pręterire.

De Deo. Vetus igitur sermo est, à maioribusq; proditus inter omnes homines: vniuersa tũ ex Deo, tum per Deum constituta fuisse atque coagmentata: nullãq; naturam satis instructam ad salutẽ esse posse, quæ citra Dei præsidium suæ ipsa demum tutelæ permissa sit. Quocirca veterũ nonnulli eo vsq; prouecti sunt, vt hæc omnia dictitarẽt Deorũ esse plena, haurirîq; eorũ spectra ab hominib⁹, oculis & auribus: reliquisq; sensibus: Sentẽtię illi quidem fundamẽta iacientes diuinæ fortasse potentiæ, non item diuinæ naturæ cõgruẽtis. Etenim cunctorum quæ rerum natura cõplectitur, cum seruator est Deus, tum vero quæcunque in hoc mundo quoquo modo perficiuntur, eorum omnium idem genitor est: non sic tamẽ, ipse vt opificis in morẽ, animalisq; lassitudinem sentiẽtis, labore affici

posſit: vt qui ea facultate vtatur, quæ nulli cedat difficultati, cuius ipſe vi facultatis omnia in poteſtate cōtinet: nec min⁹ etiā quę longius ab ipſo vidētur eſſe ſummota. Sūmam igitur & primam ſedem mūdi ſortitus ea de cauſa ὕπατος, quaſi ſupremus appellatus eſt: & (vt inquit Poëta) in ſummo culmine vniuerſi cæli ſuum habet ipſe domiciliū ſitum & collocatum. Maxime vero vim eius ſentit, numinéq; eius ante omnia fruitur id corpus quod proxime eū ſitum eſt: tū quod ſecundum ab hoc ſitum habet, & vnūquodque deinceps, prout ſituum ordo ad noſtrū vſque locū natura conſtitutus eſt. Quo fit vt & terra & terrena omnia, quàm longiſſime ab diuinitatis adminiculatione abſcedunt: tam infirmitate ſumma ſunt ipſa, concinnitatiſque ſibi cōſentaneæ maxime expertia: atque ideo multo tumultu exagitata. Atqui cū ita ſit numē diuinū natura ſua comparatū, quoquo vt verſus permeet: nimirū ea in quib⁹ ipſi verſamur, ac nobis ſuperiora, pro eo quātus eſt acceſſus ad Deū, vel abſceſſus ab eo, eius opitulationē quoq; ſentiūt. Proinde id præſtabilius eſſe cēſemus, Deóq; tū decētius tū magis cōſentaneū, ita de eo opinari, vt dicamus, poteſtatē illā in cælo ſedes ſuas habētē, incolumitatis cauſam rebus vniuerſis præſtare, iis quoq; quę lōgi⁹ ab ea remota ſūt: Nec illis aſſētire, qui eā ipſā pote- Dei domiciliū.

ſtatem per omnia pertendentem,& ventitã-tem ad ea quoque quæ nec adire ipſam honeſtum eſt, nec dictu ſpecioſum,ſua illic opera efficere contẽdunt, resq́ue terrenas adminiſtrare. Atqui ne ex hominum quidem principum dignitate eſſe dixeris,cuilibet operi incũbere: vt(verbi gratia)exercitus ducis,aut vrbis præfecti, atque etiã domus primarii diſpenſatoris, ſi faſciculum ſarcinariũ componere, aut viliorem aliquam operam obire vſu venerit vt neceſſe ſit: cuiuſmodi munere, magni regis tempore, ne quoduis quidem mancipium eius facile obiuiſſet.

Regis magni faſtigiũ. Quippe(vt proditur) viſenda quædam ſpecies Cambyſis, Xerxis,& Darii regnantiũ, in exquiſitum maieſtatis faſtigium exornata erat compoſitáque magnifice,omnibusq; numeris venerationis auguſta. Et quidem (vt fama eſt) Suſis ipſe aut Ecbatanis ſedib⁹ collocatis, procul hominum conſpectu regiam ſanè admirandam obtinebat, ambitu ſeptam auro,electro,eboréque fulgẽti. Cui veſtibula multa erant atriáque continentia: multæ vero ianuæ,multorum ſtadiorum interſtitiis ita dimenſæ inter ſe atque diréptæ, vt aditus æneis foribus muriſq; magnis obſtructi atque muniti eſſent. Tum autem viri principes & lectiſſimi in ſtationes digeſti erant atq; decuriati recte atque ordine: pars munere ſtipantium regem ipſum fungẽtes,

eíque famulantium : pars custodes circa septa regiæ appositi (Ianitores emissariosque appellabãt) cum interim rex ipse, qui idem dominus deusque vocitabatur, omnia & videret & audiret. Ab his item erant alii vectigalium quæstores obuentionumque constituti : alii duces tum bellici, tum venatores: alii coactores munerarii : alii denique munerum reliquorum curatores, prout vsus ratioque administrãdarum rerum ferebat. Tum autem vniuersum Asiæ imperium, Hellespõto quidem ab occidentis partibus terminatum, India autem ab Oriẽtis, regunt pro potestate prætores, præfecti, & reguli, serui regis ipsius qui magnus appellatur. Cursores etiam exploratoresque, statores, & custodes stationarii : & denique specularii excubitores. Quorum erat ipsorum is apparatus, ea descriptæ collocationis ratio, tam rato ordine vices munerum constitutæ : & præsertim eorum qui ignes edere prænuncios, & tollere è speculis soliti sunt, deinceps in aliam illi quidem ex alia dantes accipientesq; signũ in orbem : abusque finibus imperii adusque Susa & Ecbatana, quicquid rerum nouarum quisquam in Asia moliretur aut incœptaret, rex vt ipse vno die resciscceret. Atqui statuere nos oportet, magni ipsius regis fastigium, præut quidem est Dei eminentia, qui pro potestate mundum tanquam prouinciã ob-

tinet, tam esse infimum, quàm esset summũ hoc ipsum regis fastigium, si cum animante quodam vilissimo atque infirmissimo componeretur. Quapropter si è dignitate regis haudquaquam esset, Xerxẽ functione propria administrare omnia & absoluere, quæcunque facta cuperet, ne ipsum quidẽ operibus faciendis instantem curatoris operum officio perfungi: longe id nimirum minus Deo conuenit. Quare augustius id decẽtiusque existimandum est: Deum summo in loco ita esse collocatum, numinis vt tamẽ eius vis per vniuersum mundum pertinens, tum Solem Lunamque moueat, tum cælũ omne circumagat: simulque causam præbeat eorũ quæ in terra sunt, salutis atq; incolumitatis. Neque vero illi ipsi itidem vt principibus mortalium, opus est aut artificiosa molitione, aut alieno ministerio: quando ii propria infirmitate præditi, operarũ decurias rebus conficiendis, & numerosas manus adhibẽt. Illud autẽ diuinitati maxime cõsentaneum, vt formas rerum omnium citra difficultatẽ, simplicique motu absoluat: non secus atque illi machinatores solent, qui instrumento vno demittendo multos & varios effectus edunt: aut vt illi præstigiatores faciunt, quos νευροσπάσας ob id appellant, quòd imagunculas animatas esse fidiculis ductitãdis emẽtiuntur. Qui cum funiculum ipsi aut neruũ

νευροσπάσας.

adduxerunt,cieri ceruicem & manum quasi animantis simulachri, humerumque itidē & oculumfaciunt,interdū etiam omnia mēbra: idque quadam cum venustate atque æquabilitate motus. Hoc igitur modo natura diuina ab vno eodemque simplici motu primo, vim suā immittit in ea quæ sunt primo contin ētia,ab illisque subinde in ea quæ longius atq; longius absunt,quoad permeauerit per vniuersa. Quippe alterum ab altero motum, rursus ipsum quoque aliud mouet cum mundo: quū vnumquodq; interim agat conuenienter constitutioni suæ,nec tamen eadem sit via omnibus,sed diuersa, nōnullis etiam cōtraria:tametsi primus illis velut ad concentum atque æquabilitatem auspicatus, natura sit comparatus ad vnū motum,similiter atque siquis ex eodem vase simul iaciat globum, tesseram, turbinem, & columellam. nempe vnum quodque eorum accommodate suæ formæ mouebitur: Aut si quis animal vnū aquatile,aliudque terrestre, & aliud volucre ē sinu suo emittat. Planū est enī quod natatile cō prosiliēs enatauerit,vbi ei commodum est victitare:terrestre ad suas sedes pascuaq; sua erepserit:at aërium ē terra sublime raptum euolauerit,vna vtiq; eademq; prima causa propriam eorū vnicuiq; aptitudinem reddente. Eademque ratio est in mundo.Siquidē ab vna cęli vniuersi con-

uersione, quæ die noctúque finitur, aliæ atque aliæ permeationes fiunt. Quumque vno omnia coërceantur globo, pars tamen celerius, pars mouetur tardius: nimirũ interuallorum longitudine & singulorum opificio eam differentiam efficiente. Et Luna quidẽ mense suum peragit orbem, augescens vicissim, imminutáq; & tabescens. Sol anni spatio suum orbem metitur: & qui eum æquãt cursu Lucifer & Mercurius. Pyrois spatio altero tãto maiore. Iouis stella spatio Pyroëntis sexcuplici. Vltima, Saturni quæ dicitur, tempore sesquiplo maiore quàm quantum id quo circunagitur illa quæ infra ipsam est proxime. Qui vero ex omnibus concentus existit consonantibus in cælo chorumq; cõficientibus, vt ex vno ille quidem oritur, ita in vnum desinit. Vniuersumque ipsum commodius κόσμον nominaueris, id est compagem rerum compositam, concinnóque ordine digestam, quàm ἀκοσμίαν, id est congeriem confusam & inconditam. Quemadmodum porrò fit in choro, vt auspicãti præsuli aut præcentori accinat omnis chorus è viris interdum fœminisque compositus, qui diuersis ipsi vocibus, grauib[9] scilicet & acutis, concẽtum attemperant: eandẽ ipsi rationẽ statuimus & in Deo, qui vniuersum mundũ moderatur & regit. Et sidera enĩ semper, & vniuersum ipsum cælum eos ad numeros

De planetarum cursibus.

κόσμος

Chorus.

mouentur,quos Deus sursum quasi auspicãdo præcinendoq; emodulatur:quẽ à similitudine sanè congrua κορυφαῖον mundi rectè appellaueris, quasi præsultorẽ ipsum huiusq; chori magistrũ. Germinis autem itineribus Sol ingreditur, lumine suo cuncta quoquouersus collustrans: diẽ noctemq; altero itinere disterminans, ortu suo scilicet & occasu: altero quatuor anni tempora secũ ductitãs, vltro citróq; per cælũ perreptãdo, nunc Aquilonius ipse,nũc Austrinus. Quid dicam pluuias tẽpestiue existentes, vẽtos & rores,omneisq; permotiões quæ in aëre eueniunt à principe rerũ causa atq; primordiali? Adde fluminum lapsus, maris æstus intumescenteis,enascentium arborũ incremẽta, frugum maturitates, fœturas animaliũ: denique vegetationes rerum omniũ,adolescentium primum,deinde tabescentium:eódem accedentibus causis(vt dictum est)à cõstitutionib. singulis rerum atq; opificiis. Itaque ille omniũ princeps parensq;, animi tãtum sensu spectabilis, simul ac signũ naturis dedit inter cælũ terrãq; vehẽtibus: earum vnaquæq; in orbib. suis iugi motu cietur atque intra suos limites,alternis cõdita atq; apparens:sexcentas illa formas eodẽ à principio exhibens,vicissimq; subducens. Quod vero in hisce rebus agitur, magnopere simile est iis, quæ belli tempore inter homines facti- Coryphæus.

tantur. Nâq; ſtatim vt claſſicum exaudiri in exercitu cœptum eſt, alios ipſe videas ſcuta ſibi aptantes, loricā alios induentes, alios ocreas vel galeā ſumere, vel balteo ſe cingere feſtinâteis. Ruſ⁹ videas qui frenatos equos admittât, alios qui currus cõſcēdant, qui denique teſſeram per explicatā aciem prodât: Tum manipuli ductor, ad manipulũ, Centurio excurrit ad cēturiā. Poſtremo equites ad cornu, velites ad ſtationem quiſq; ſuā feſtinât. Cum interim ſub vno ductore omnia moueâtur, qui imperia & ipſe ſignificanda accepit ab eo apud quē ſumma eſt imperii. Eodem nos & ipſos modo cēſere cõuenit de Vniuerſo. Quũ enim ab vna vi impultrice cieantur omnia, fit vtiq; quod cuique cõmodũ eſt & conueniens. Nec vero ſi ea vis ipſa, nec cerni ab hominib. nec apparere poteſt: quoquo pacto id obſtat, aut illi ad ea quę diximus agēda, aut nobis ad fidem hiſce rebus accommodandam. Nam & anima ipſa qua viuimus, qua vrbes, qua domos habitamus, cum haud quaq̃ ſub aſpectum noſtrũ ſita ſit, operib. tamē ipſis videtur. Omniſq; vitæ cultus nitorque vt ab ea inuentus eſt & deſcriptus, ita ex ea tenorem ſuum ſeruat: Terræ cultura & conſitio, artium excogitationes, vſus legum, reipublicæ recte atque ordine conſtitutæ ratio, adminiſtrationes ciuiles, bellum extra fines patriæ, & rurſus pax in

ca. Proinde hæc etiam de Deo sentienda nobis sunt, illo quidem si vim spectes, valentissimo, si decorem, formosissimo, si vitam, immortali, denique si virtutem præstātissimo. Quapropter cum sit inconspicabilis naturæ omni interituræ, ipsis nihilosecius ipse cernitur ab operibus. Atque ea quidem quæ in aëre fiunt quoquo modo affecto, quæ in terra, quæ in aqua, ea certe Dei opera esse merito dixerimus. Dei inquam opera cum imperio summo mundum ac pro potestate obtinentis. Ex quo Deo, vt inquit Empedocles physicus,

Omnia quotquot erunt, quot sunt præsentia, quotq́ue
Orta fuere ātehac, stirpes hominesq; feręq;:
Inde etiā volucres, piscesq́; humoris alūni.

Enimuero non tam absurda quàm pusilla cōparatio (vt opinor) fuerit, si mundū cum illis lapidibus cōponamus, qui in operibus fornicatis, forficis in modum dispansi conformatis structura sese intersecāte, vmbilici vocantur. Etenim ii lapides in medio collocati, qua parte scilicet vtroque versus structura arcuata pandatur, quasique oneri cedit, in cohærentia continent, atque in cōstructione ordinata totam formam operis, immobilemq́ue asseruant. Fama est etiam Phidiam illum statuarium, quum Mineruam illā quę est in arce, coagmētaret, in medio eius scuto

Vmbilici.

Phidias.

faciem suam expressisse, oculosq; fallenti artificio ita deuinxisse simulachro, eximere inde vt ipsam siquis cuperet, minime posset: aliter quidem certè quàm vt ipsum solueret simulachrum, opusq; eiusmodi compactile confunderet. Hanc eandem igitur rationem Deus habet in mundo, vtpote qui vniuersorum coagmentationem cohærentem cohibeat & coarctet, incolumitatéq; Vniuersitatis cõseruet: nisi quatenus non medio ille loco, in terra scilicet, vbi turbida regio est: sed in excelso situs est, purus ipse in puro loco. Quem locum tum οὐρανὸν ab origine vocis dicimus, quasi terminum extimũ supremorum corporum, tum etiam Olympum, vt vsquequaque lucidum, ab omni caligine secretum, motúque omni incondito, cuiusmodi sunt qui apud nos venti fiunt & tempestates. Id quod his verbis significat Homerus:

οὐρανὸς ὅρος τὶς ὢν τ῀ ἄιω Olymp⁹

Esse solum diuis subnixũ semper Olympũ
Fama est, haud ventis tremefactum, haud imbribus vdum
Ac procul à niuib⁹ subductũ, nubibus illinc
Splẽdida sũmotis cãdésq; expãditur æthra.

Huius autem rei elogium est mortalium consensus, regionem mũdi summam nõ dubie Deo tribuentium. Quam ob causam ipsi manus tollimus sursum inter vota cõcipiẽda. Qua ratione nec male illud quoque ab eodem poëta pronunci-tum,

Cælũ sorte tulit simul æthera Iuppiter altũ.

Quin etiam quæ maximæ eximia sunt inter res sensu perceptas, eundem illa locum obtinent, vt sidera, vt Sol & Luna. Vnde fit, vt cœlestia concinno ordine digesta, suas ipsa vices conseruent perennes & constitutas, nullique obnoxias mutationi. Longe illa secus atq; terrena: quæ ita natura cõparata sunt, vt ipsa in alias vt ex aliis affectiones transeant, fierique identidem altera atq; altera non respuant. Certe contigisse aliquando constat, vt terræmotus violẽtia terra ipsa multis in locis discesserit, indéq; hiatus extiterint: vt imbres vi maiore ruentes, diluuiũ in terram intulerint: vt excursiones vndarũ recessusque tum continentes mari obruerint sæpenumero, tum rursus maris alueos adiecerint continentibus: vt vis flatuum & verticum oppida funditus disturbarit: denique, vt incendia atque inflammationes aliquę superne delapsantes, partes orbis exusserint versas ad Orientem, vt Phaëthontis tempore contigisse dicitur: quædam etiam vt è terra erumpentes veluti expirabundæ idem fecerint, vt quum crateres Aetnæ abrupta terra patefacti, conflagrationem emiserunt instar torrentis per terram grassabundã. Quo tẽpore qui è mortalium genere pietate erãt imbuti, ii à numine diuino eximio honore ingentiq; affecti sunt. Siquidem iuuenes &

Crateres Aetnę patefacti.

Mirum dictu.

robore valentes,cum parẽtes suos ætate iam confectos humeris sustulissent, igneo flumine iamiam opprimendi, in eo erant ipsi vt interirent:cum ecce flumen ipsum ita se scidit,vt huc & illuc diuersi fluctꝰ digrederentur.iuuenésque intactos cũ senibus trãsmitterent. Vt verò summatim iam loquamur, quod in naui gubernator est,quod in curru agitator, quod in choro præcentor: quòd denique lex in ciuitate, & dux in exercitu, hoc Deus est in mũdo.Nisi si hactenꝰ interterest, quòd labor & motus multiplex illos exercet,& curæ angunt variæ: cũ huic illaborata succedãt omnia:omnis molestiæ expertia,citráq; corporis infirmitatem: quippe cui in loco stabili immotoq; collocato, omnia mouere & circumagere pro arbitratu liceat quó libitũ est cunq;, & quo modo libitũ est: idq; diuersis in formis simul atq; naturis.Id autẽ ratione simili facit ille atq; lex ciuilis, quæ immobilis ipsa existens in vtentium animis,regit omnia ad remp.pertinentia.Et ciues quidem quasi eius assectæ in mediũ prodeunt: qui autẽ Principes vocantur,ad prætoriũ se cõferunt: Legislatores ad propria tribunalia:Senatores denique,& qui concionatores dicũtur, ad cõfessus sibi contributos cõueniunt. Rursus is in Prytaneũ it,cui scilicet id datũ est, in eo vt publico victu epuletur: alter rapitur ad iudiciũ,

Lex ciuilis.

causam vt ibi dicat: in carcerem alius compingitur ,vt supplicio afficiatur illic. Tum verò epulones in ciuitate celebres ad epulas legitimásque conueniunt. Iam verò aguntur dies festi: iam ludicra solennia: iam anniuersaria sacrificia fiunt diuis, heroësque ritu suo coluntur: postremo inferiæ mortuis inferuntur. Sic alia ab aliis facta vno vel imperio, vel legis vna authoritate, asseruant eum qui obtemperat.

Sic vrbs simul plena est vaporibus sacris,
Resonátque cantibus piis ac luctibus,

Hoc idem de vrbe quoq; maiore, de hoc inquam mundo, existimare debemus. Deus enim nobis lex est, in omnem illa quidem partem ad æquilibrium vergens, nullā correctionem admittens, nullam varietatem. quippe quæ potior sit illis legibus & stabilior, quæ in tabulis perscriptę sunt. Ei' enim auspiciis perenniter & composite prǽeuntis, vniuersus hic cæli ordo regitur atque administratur, numeros omnes concinnitatis habens: in omneis ipse naturas partitus ꝑ vniuersitate seminum, in ea quæ hærent solo, atque in animantia, quæ etiam suis ipsa generibus formísque distincta sunt. Nam & vites fiunt & palmæ, & persæ, ficiq; dulces, & oliuæ, vt inquit Poëta: Tū quæ fruct' expertes, alios vsus ꝑstant, platani, pinus, buxi, alni, populus etiā nigra, & cupssus odorata:

Tum quæ autumni tempore fructum ſuauẽ fundunt, ſed conditu difficilem, piri, puniceæ, mali. At verò animantium aliæ feræ ſunt, & aliæ cicures: tum in aëre, tum humi, tum in áqua victitantes, oriuntúrq; & inualeſcũt, & deinde intereunt, legibus obtemperantes diuinis atque cedentes. Omne enim reptile (vt inquit Heraclitus) terram depaſcitur atque poſſidet. Vnus porrò Deus cũ ſit pluribus nominibus appellatus, eſt ab iis vtiq; ſuis omnibus effectibus denominatus, quorum ſpecimen edere ipſe ſolet. Atq; eũ quidem tum ζῆνα tum δία vocant, inter ſe compoſitis vtẽtes nominibus, atq; è regióne collocatis: tanquam duabus iis vocibus ſignificare velint, per quem viuimus. Is Crono, id eſt Saturno, & chrono, id eſt tempore ortus eſſe dicitur: nimirum ab æuo ſempiterno ad alterum æuum pertinens. Vocatur & Fulgurator, & Altitonans, & Aetherius, & Fulminator, & Pluuius: à pluuiis vtiq; & fulminibus, aliisq; operibus, è quibus vocabula ipſa deducta ſunt. Quin & Frugipotẽs & cuſtos vrbium vocitatur, & Natalitius, Septitius, Cortalis, Gentilitius, & Patrius: videlicet à communione quæ diuino ipſi numini iis cũ rebus intercedit. Ad hæc Sodalitius & amicitiæ præſes, tũ Hoſpitalis, Caſtrenſis, Trophęalis, Expiator, Sãguinarius, & Supplex, & Placabilis, vt Poëtæ loquuntur: denique

Deus pluribus nominibus nominatus.

τὸν ζῆνα ϗ, τὸν δία, δι' ὃν ζῆν ἐστί.

Seruator dicitur & Assertor: & (vt semel omnia complectar) Cœlestis & Terrenus, ab omni natura sortéque nomen adeptus, vtpote qui omnium rerum author sit. Quamobrẽ quæ de ipso in Orphicis carminibus dicta sunt, haudquaquam perperam dicta sunt. ἀνάγκη
Equidem Necessitatem ipsam etiam nihil aliud quàm Deum dici censuerim & intelligi: cui ἀνάγκη ex eo nomen est, quòd natura quædam sit immobilis. Eundémque ἑιμαρμένην, id est fatum, dictum à serie rerũ consertam, inoffensóq; tenore procedente. Quod alio nomine πεπρωμένην ideo appellauerunt, quod ab eo omnia terminata sunt, ac nihil in rerũ natura infinitum est. Quin & μοῖραν, id est sortem, appellatum eũdem Deum à partitione rerũ dixerim: Et Nemesin, quasi potestatem diuinam, ei⁹ quod visum est cuiq; distributricem: Adrastian etiã quasi causam quãdam natura comparatam, quam fallere nemo queat aut vitare. ἀίσαν denique dictum, quasi semper existentem.

ἀκίνητός τις οὖσα. εἱμαρμένη. πεπρωμένη. μοῖρα. Nemesis Adrastia. ἀίσα, ἀεί τις οὖσα.

Iam quod de Parcis & de fuso proditũ est earum, eodem id etiam quodammodo pertinet. Siquidem tres Parcas prisci tria in tempora partiti sunt: filúmque fusi partim iam peractum, partim futurum, partim iam intorqueri dixerunt: earum vnam statuẽtes in eo quod iam profligatum est: quã Atropon ideo nuncuparunt, quoniã ea quæ iam

Tres Parcæ.

præteriere, retrorſus agi nequeunt. At Lacheſis ſanctio futuris deſtinata eſt. omniū enim quæ ſecundum naturam ſunt, ſors ſua quodque manet. Præſentibus autem rebus aut inſtantibus Clothus opera attributa eſt, quæ netu vnicuique conficit quod ſuum eſt. Hócque fabulamentum recte atque ordine compoſitum eſt. Proinde hæc omnia non aliud quicquam quàm Deum eſſe, planum eſt, vt eximius Plato cenſuit. Enimuero Deus (vt eſt vetuſto verbo proditum) principium & finem, & media rerum omnium tenens, rectáque linea incedens, operatur ille quidem ſecundum naturam, è veſtigio comitem habens Iuſtitiæ præſidem, quam δίκην nominauerunt, diuinæ legis vindicem, ſimul vt quicquam ſanctionū eius prætermiſſum eſt. Cuius vt ſit particeps numinis iam inde oportet ab initio, qui ad vitam beatam euaſurus eſt atque felicem.

δίκη.

FINIS.

PHILONIS LIBER DE MVNDO.

NIHIL in rerũ natura proditum est Deo æquiparandum. Vnus est enim ipse princeps, dux, & rex, cui ꝓ imperio regere vniuersa, administrareq; ius est. Nam illud Homericũ, Non bona multiplici dñatu condita res est Publica, rex vnus, dominator & vnic⁹ esto.

Non de ciuitatibus magis & hominib⁹, quàm de mundo deque deo dictum, par est vt intelligamus. Vnius enim mundi fictorem esse vnum, dominúmque vnum necesse est. Hoc igitur confesso ac posito, deinceps nobis attexenda, quæ ei sunt consentanea: quę cuiusmodi sint ipsa, hinc iam consideremus. Vnus ipse deus cum sit, duas habet supremas potestates, per quas mundus ille coagmentatus est intelligibilis atque incorporeus. Qui huius mundi conspicui exemplar est primigeniũ, formis ille quidẽ cæcis conditisq; constitutus, vt hic qui oculis cernitur. Quo euenit, vt nõnulli mortales mundi vtriusq; naturã ad stuporẽ vsq; suspicientes, non totos illos solum velut deos, sed etiam eorum partes pulcherrimas cõsectarint, Solem inquam & Lunam, vniuer-

ſumq́; cælum, quæ nihil illi veriti ſunt, quo. minus deos appellarent. Quorũ animi ſenſa Moſes perſpiciens, Domine (inquit) deorũ rex, ſignificare ille quidem volens præſtantiam principis præ ſubditis. Ille etiam Iudæorũ gẽtis author antiqſſimus, Chaldæorum gente oriũdus fuit Aſtronomio parente, eorúmq; vno qui artium mathematicarũ ſtudio incubuerunt, quique deos eſſe ſtellas arbitrati ſunt vt vniuerſum cælum mũdúmque, eorum vi quod recte, quódque ſecus cõtingit, euenire ipſi cenſentes: vtpote qui nullam eſſe cauſam extra ea exiſtimarent quæ ſenſu percipi poſſunt. At hoc quidnam eſſe fœdus, quidnam conuincere & demonſtrare poteſt luculentius ignauiam degeneris animi? per ſcientiam multorum, & ſecundorum, & genitorum, ad inſcitiam tendentis vnius vetuſtiſſimi, ingeniti, omniúmque fictoris, atque eam ob rem optimi, propterq́; alias ſexcentas, quæ magnitudine ſua excedunt humanę ratiocinationis modũ. Quem Chaldæus ille mente conceptum, cum vt deum ſuſpicere cœpiſſet, religioníque habere: ſolũ quidem ipſe patrium vertere inſtituit, genúsque ſuum ac larem paternum pro derelicto habere. Probe enim nouerat, quod ſibi illic manenti, fallacis opinionis occurſus, quæ deorum multitudinẽ aſtruit, notionem incommodã attuliſſent ad vnius

Moſes. Abraham

dei inuentionem, qui solus est ęternus, aliorum omniũ parens, intelligibiliũ iuxta sensibiliúmque. sin inde migrare institisset, emi graturam quoq; ab se intelligebat rationis imposturam. Hac ille ratione vanitatẽ opinionis vertit in veritatem, cum eo quoque quòd oracula cœlitus ipsi edita denuo desiderium in ipso exuscitarunt, quo suapte sponte flagrabat, cognoscendi id quod esse dicitur. Quibus ille oraculis deductus, in vnius vestigationem ibat studio quàm accuratissimo. Neq; vero eius contentionis quicquam ipse ante remisit, q̃ mente ipse concepit speciem clariorẽ: non illã quidẽ naturæ eius & essentiæ (Etenim hoc maius est, q̃ vt id assequi quisquam possit) sed substantiæ atque prouidentiæ. Quamobrem princeps ille credidisse deo dicitur, quando princeps ipse stabilem & exquisitam opinionem habuit, supremam vnã esse causam, mundi eorúmque quæ in mundo sunt prouidentem. Quum enim rerum substantiã confusam & permixtã, ex incondita illa congerie in ordinem, atq; ex indiscreta cõfusione in discrimen redigere volens mundi fictor, digerere eã atq; ordine constituere cœpisset, terram quidẽ & aquam in medio fibris suis cõstabiliuit: aëris verò ignísque stirpes sublimes ẽ media regione sustulit: ætherium locum in ambitu cõmuniens, limitẹ̃mq; eorum faciẽs

quæ intus sunt,& tanquam præsidiũ. Quare οὐρανός, id est cælum, ab ὁρῶ, id est termino, nomen deductum videri potest. Atque hæquidẽ veluti propagines quędam integræ sunt, viuiradicesque vniuersi. Prægrandis verò stipes atque fœcũdissimus est hic mundus, cuius velut soboles adfruticãs, germina illa sunt à nobis supradicta.

οὐρανός.

Basis mundi.

Vbinam igitur radices egerit,& quęnam sit eius basis, considerãdum, super qua basi statuæ in modum affirmatus est mundus. Est autem simile veri corpus nullum erraticum extra esse relictum, quum deus vniuersi materiam opificio concinnatam ordine digesserit: consentaneúmq; fuit maximo opifici omnium operum maximũ omnibus numeris absolutum fingere. Atqui absolutissimũ esse nõ potuit, vt non absolutis quoq; partibus cõpleretur. Quocirca si ita hic mũdus compactus est, vt vniuersæ materię nihil, ne tantulum quidẽ, extra relinqueretur, necesse vtique vel inane extra vel nihil esse. Quod si inane, quo tandem modo plenum mundum & densum, omniumque rerũ grauissimũ, libratum essem inani compertum est, solidoq́, nullo nixum? Certe viso ludificanti simile id videri possit, quærente semper cogitatione sedimẽtum aliquod corporeum: cuiusmodi cum omne quod mouetur habere rationi est consonum, tum mũdum

præcipue, quòd corpus omnium corporum maximum eſt: quippe quod aliorũ corporũ congeriem in ſinu ſuo tanquã proprias partes gerit. Quare ſicui effugere propoſitũ eſt identidẽ recurſanteis huius quæſtionis difficultates, ne vereatur ille dicere & aſſerere, nihil ita validum eſſe, duntaxat eorum quæ in materia ſita ſunt, vt mundum geſtare queat. Eſſe verò ille dicat ſempiterni dei legem æternam, fulturam firmiſſimam vniuerſorum & certiſſimam. Hæc lex à mediis ad extrema, & à ſummis ad media protenſa, inuictum naturæ curriculum quaſi Circenſe peragit, coagmentans omnes mundi partes & aſtringens. Etenim vinculũ infractum vniuerſi eam fecit ipſe parens qui genuit. Proinde conſentaneum eſt dicere, nec terram omnem diſſolutum iri ab aqua, quã intra ſinus ipſa ſuos concepit: nec ab aëre ignem extinctũ iri: nec verò aërem ab igne conflagraturum: vtique lege diuina pro cõfinio aëre collocato. Hac igitur ratione ſtirps illa fertiliſſima ſuis cũ radicibus condita, actis ipſis radicibus affirmata eſt. At verò ſingularum ſtirpium partim tranſitu mouẽtur, partim citra tranſlationẽ condita ſunt, vt eodẽ in loco manſitãtia. Et quę tranſitiuo quidẽ motu vtuntur, quę nos animantia dicimus, ea ãpliorib[9] vniuerſi partib[9] acceſſionis vice ceſſerũt: Terræ qdẽ terreſtria, Animantia.

aquę natalitia, aëri volucria, deniq; cælo stel læ. Enimuero in terra, in aqua, in aëre, fi-ctor ipse duplicia finxit genera, vt in aëre volatilia, aliásq; potestates sensu quidé illas nusquam nullóq; pacto comprehensas. Ani

Animarũ cõuẽtus. marum illic conuentus est corpore vacuarum, ordinibus non iisdem descriptarum. Quippe alias earum corpora subire mortalia, rursusq; statis quibusdã temporũ circuitibus inde decedere ferunt: alias cõstitutionem diuiniorem sortitas ab omni terrestri situ cogitatione abhorrere. At quæ sint earũ purissimæ, eas verò opinio est excelsissimo in loco apud ætherem ipsum stationẽ habere. Quas qui in Græcia philosophari instituerũt, Heroas appellauere. At Moses appo-

Heroës. Angeli. sito nomine vsus, Nuncios appellauit, legatione vtiq; functitanteis atq; internuncias: subditis quidem bonorũ à principe manantiũ indices, principi verò ipsi regíque, operarum commode sibi ab illis nauatarum. Illas porrò corporibus concretas, perinde in corpus vt in flumen delapsas, interdum fluctuantis aquæ vortice rapi & absorberi: interdum impetum illũ eluctatas: indéq; existentes, retro deinde subuolare, vnde erant

Animæ philosophorum. profectę. Atq; hæ quidem eorum animæ sunt, qui philosophię olim studio constanter indulserunt, à principio quidem illæ ad finem commẽtatæ de vita eam ob rem cum

corpore defungenda, vitã vt adipiſcãtur incorpoream, interitusq; neſciam, apud eũ qui interitus ipſe neſcius eſt & ingenitus. At verò illæ dimerſæ, eorũ ſunt hominum, qui ſapientiæ rationem nullã habẽtes, ſemetipſos fluxis rebus fortuitisque dediderunt. Quarum rerum nihil eſt quod ad mentem pertineat aut animam, omnia verò ad emortuũ illum noſtrũ referantur, quicũ coaleſcimus: corpus inquã, ad eáque inſuper quæ inanimatiora ſunt ipſo, ad gloriã inquã, ad opes, ad magiſtratus atque honores: quæque alia ipſi opinione fallaci circumuenti imaginantur & pingunt, quibus haud vnquàm contigit ipſis ea cernere quæ ad normam veritatis pulchra ſunt & honeſta. Animas igitur & lares, ſiue genios & nuncios (ſic dæmonas & angelos appellant) nòmine differentes, cætetũ vnum tute idemq; ſubiectum eſſe animaduertẽs, grauiſſimũ onus depoſueris, quam ſuperſtitionẽ vocamus. Quemadmodum enim bonos genios malosq; vulgus appellat, & animas itidẽ bonas malásq;: ſic angelorum quoque alios vaticinio & prædictione dignos, quoſdã velut legatos hominum ad deum, deique rurſus ad homines, ſacroſanctos tu quidẽ excubitores exiſtimans propter hanc ipſam innocentem honeſtiſſimamq; muneris functionẽ: alios rurſus eorũ profanos iudicãs vaticinióq; indignos, non

Corpus.

Angeli & dæmones.

Superſtitio.

ſanè perperam ipſe iudicaueris. Huic meæ ſententiæ hymnorum author ille aſtipulatur dicens: Emiſit in eos iram excandeſcentiæ ſuæ per nuncios prauos. Porrò autem in aqua mundi opifex tum animãtia finxit natalitia, tum ea quę ζωόφυτα, quaſi plãtanima vocãt, ab natura inter animal plãtámque ambigua: in terra verò animãtes finxit terreſtres cũ ſtirpibus. Verũ ſtirpes in caput merſas fecit, carúmq; capita in imo terrę defixit. At animantiũ brutarũ capita ab humo retracta, in ceruicésq; oblongas protẽta, ita cũ ceruicib⁹ ipſis cõpegit, vt pedes anteriores ſcãnſionis vicẽ obtineant. Præſtãti verò atq; eximia conſtitutione homo ab eo donatus eſt. Siquidem cũ aliorum animaliũ facies ita cirrcumegiſſet, deorſum vt vergentes in humum, procumberent, verſa ille vice humanam faciem rectam voluit eſſe, vt cælum ſuſpiceret, ſtirps ille quidem exiſtens non terrena ſed cæleſtis, vt eſt vetuſto dicto proditũ. Enimuero cæteri naturæ ætheriæ partem mentem eſſe noſtrã dictitantes, cognationem homini cum æthere copulauerũt. Magnus verò Moſes formam rationalis animæ nulli eorũ quæ genita ſunt ſimiliter nũcupauit, vt qui animam eſſe numinis imaginem. Deique illius dixerit, qui oculorũ ipſe obtutum nullũ admittit: ſignũ Dei probũ, quo imago expreſſa eſt, ex eo ille quidem

ζωόφυτα

Homo.

Mens. Anima Dei imago.

esse ratus, quod eius signi forma est atq; nota, sempiterna ratio. inspirauit (inquit) deus in faciem eius spirationem vitæ. Atqui cum qui admittit, ad exemplar affingi necesse est emittentis. Quo fit vt hominem factum ad imaginem Dei aiant, non etiam ad alicuius eorum quę genita sunt. Age iam hunc denuo sermonem explanationis gratia ita exordiamur, vt corpora quædam habitũ, quędam naturam induisse, quædam animã dicamus, quædam deniq; animam rationalẽ. Lapidum igitur & lignorum, quæ abstracta sunt à coalitu, vinculum validissimum Deus fecit habitum, qui spiritus est conuersa reflectens in seipsum Incipiens enim à mediis in extrema tenditur: cumq; supremam attigerit superficiem, reflectitur rursus, quoad eódem loci peruenerit, vnde primum profectus erat. Atque hic est circularis cursus habitus. Naturam autẽ Deus iis attribuit quæ radicibus hærent, eamq; attribuit cũ ẽ plurimis facultatibus attemperatã, tum verò altrice vi & genitrice. Animã etiã fictor ipse tribus rebus finxit à natura differentem, sensu, viso (Sic φαντασίαν vocant) impetu. Etenim cum stirpes earum rerum exortes sint, vnũquodq; animans frequenter iis afficitur. Sensus porrò (vt nomen ipsum indicat græcum) illatio quædam est in mentem eorum quæ apparẽt & videntur. At visum impressio

Triplex corpus.

Habitus.

Sensus. αἴσθησιν εἴσθεσίς τις οὖσα

est in anima. Simul enim sensus aduẽtitium quippiã sigillatim importauerit, visum continuò annuli modo aut signi notã suam imprimit, impressamque effigiem asseruat penes sese, qnoadusque obliuio memoriæ aduersaria, formam ipsam vel exoletam reddat interlinendo, vel prorsus euanidam. Ipsum etiam visum quod imaginem insculpsit, interdum animam propriæ, interdum alio quodam modo afficit: quæ anime affectio impetus appellatur, vel animi appetitio: ὁρμὴ græce dicitut. Quam qui finire volunt, primũ animi motũ esse dicunt. His tot rebus animalia pręstant iis quę radicib⁹ hærent. Age verò videamus quinã præstat homo cæteris animantibus: nimirũ eximio munere, quam mentẽ appellamus, qua mente omnium ipse naturas cõprehendere solet tum corporum, tum rerum. Quemadmodũ enim in corpore visus est longe omniũ princeps (id quod in vniuerso natura luminis obtinuit) ita eorum quæ in nobis sunt animus imprimis bonitate censetur. Quippe qui animæ sit oculus propriis ille quidem splendoribus circũfusus, queis multa caligo altaq; discutitur, quam rerum ignorantia offudit. Hæc anima forma elementis non iisdem ficta est, è quib⁹ cætera quoq; perfecta sunt, puriorem verò potioremque sortita est ipsa materiam, ex qua scilicet naturæ di-

Visum. Impetus. Mens. Animæ materiæ.

uinæ procreatæ sunt. Quamobrē solus ipse in nobis animus interitus immunitate merito donatus esse visus est: quippe quem solum parēs eius & sator libertate dignatus sit, necessitatisque vinculis remissis liberū esse nexuque solutum siuerit, donato illi pignore tum decentissimo, tum maxime accommodato, Liberi scilicet arbitrii, ea sorte quā ille admittere poterat & capere. Siquidē alia animalia, quorum in animis non est animus in libertatem assertus, & vehiculis illa quidem iuncta & frenis cohibita, ad obsequium hominibus mācipata sunt, vt seruitia dominis. Homo vero sensum mentis sortitus arbitrii sui prærogatiua ac sua spōte præditū, actionibusque fungens à proposito proprio manātibus, nō immerito male audit ob ea, quę sciens prudensque secus agit, vt bene viceuersa ob ea quæ recte atque ordine facit. Nā qui voluntarium motum diuinitus accepit, eoq; nomine assimilis Deo factus est, è grauis ipse & perquàm molestæ dominæ iure ac mancipio vindicatus in libertatem, huic nimirum par est vitio vt vertatur, cum assertorem suum non colit & obseruat, dignūq; eum quiuis merito iudicarit, qui in fraudem incidat, quæ aduersus ingratos libertos prodita est, summoto omniū deprecatore. Eáq; de causa corpus humanum arrecta facie conformatum, oculos attollit in cælum & intē-

Liberum arbitriū.

dit, quæ pars lucidissima est uniuersi, vt eo quod oculis perceptum est atque animaduersum, id quoque non dubie comprehédatur quod oculis subductum est. Quandoquidem autem fieri nequit, vt mentis humanæ sequacitas erga id quod est, nisi ab iis demũ videatur, qui ad illud ipsi feruntur (Siquidẽ quo quisque modo afficiatur, ipse imprimis nouit qui afficitur) idcirco euidens simulachrũ oculi inaspectabilis oculum corporis

Oculus. Deus finxit, qui potest æthera contueri. Nãque oculi cum è materia interitura compacti, eo vsq; sursum tollantur, vt à situ terreno ad cælestem locum excursent tanto interstitio à nobis abscedentem, eiusque fines attingant: cuius tandem esse modi oculorum animæ cursum existimare debem⁹, qui præ ingenti ipsi desiderio perspicue cernendi illud vnũ, quasi alites facti, non ad æthera modo summũ contendũt, sed vel infra se vtcunque relinquẽtes vniuersi mũdi extrema, ad illud ingenitũ pernici cursu feruntur? Itaque cũ super præcipuis mundi stirpibus cõmentari institerimus, videamus nũc quonam modo Deus omnifaria sapientia cumulatus, suas

Homo minor mundus. etiam hominis (qui minor est mũdus) arbores molitus est. Iam primũ igitur in corpore nostro tanquam in agro quodam soli fœcũdi, sic ipse sensus nostros finxit, quasi quædá

Sensus. humoris conceptacula: deinde velut plan-

tas singulas mansuetas & fructuósas singulis imposuit, auditũ in auribus, visum in oculis, olfactum in naribus, aliosque itidem sensus in locis cognatis atque accommodatis. Cuius rei testem laudare diuinum illum virum promptũ est, qui in psalmis ita inquit: Num qui aurem serit non audit? qui oculũ fingit non inspicit? Quin & cunctas partes ad crura vsque manusque pertinẽtcis, aliasque partes corporis, generosas esse contigit propagines atq; viuiradices. Quib⁹ ex ipsis præstantiores ille atque perfectiores principatui affibratas adnexuit, qui medius est ipse, longéque fructuosissimus omniũ. Hæ autem sunt intelligentia, comprehensio, coniiciendi rectitudo, commentationes, memoriæ, habitus, affectiones, artium genera multiplicia, certitudo scientiarum, apprehensio speculaminum vniuersæ virtutis, quam delere obliuio non potest. Horũ omniũ nullum alius nemo potest intus instar plantæ pangere aut serere: vnus vero omnium simul artifex ingenitus, qui non solum olim hæc finxit plãtaria, sed quotidie etiam fingit simul vt singuli oriũtur homines. His cõsentanea sunt ea quæ de paradisi consitione monumẽtis literarum prodita sunt. Conditus est (inquit ille) paradisus in Edem ad ortum Solis, collocauitque ibi Deus hominẽ ab se fictũ. Quod si vites olearumque & malorũ & pu-

Principat⁹ animi, & ei adhærẽtia.

Paradis⁹

nicarum stirpes, atque alias huiusmodi illic fuisse exaudias: multa hæc sit vtique deploratáque stultitia. Ne quis vero arbitraretur fictorem ipsum cuiuspiam eorum quæ fingebantur vsum desiderare, Moses necessario exclamauit: Dominus seculorum regnator & in secula porróque. Deus enim & pater & opifex curatorque reuera est rerum omniũ quæ in cælo quæque in orbe terrarum sunt. Porrò autem futura vmbra posteri temporis occuluntur, breui interdum, interdũ longinquo interuallo. At opifex tẽporis Deus, vt qui parens sit eius patris: siquidem mundus parens est temporis, cuius motum Deus temporis ortum esse statuit. Ita nihil apud Deum futurum est: vtpote qui temporum fines redegerit in suam potestatem. Neq; vero ipse tempus est, sed primigenia forma tẽporis atq; exemplar. At in æterno nihil nec præteriit, nec venturum est, extitit vero tantum atque in natura rerum est. Verum cũ his de rebus satis explicatum sit, videndum iam de mundi conditione immuni ab interitu. Qua de re tres opiniones apud studiosos philosophiæ extiterunt, aliis perpetuum esse mundum statuentibus, ortusque exortem & obitus: aliis contrà genitum esse opinantibus atque interitum. Fuerunt etiam qui vtrorũq; opinionem ita exciperent, vt ab his natalem mundi, æternitatem ab illis mutua-

Deus pater ẽ mũdi, mundus temporis.

Tres philosophorum opiniões de mũdi ortu & interitu.

rentur: indéque veluti cinnum temperatum ex vtroque, ſcitumque mixtum relinquerét, genitum eſſe mundum, non item occaſurũ. Et Democritus quidem Epicurusque ac pleraque Stoicorum multitudo genituram mũdi interitumque prodiderunt, tametſi nô ſimiliter. Eorũ enim partim complureis mundos deliniantes, ipſorum ortum attribuunt corpuſculis indiuiduis inuicem offenſantibus, in occurſuque implicitis: Interitum autem tum ſtatuunt, cum mundi concreti & ſic enati, colliſi inter ſe fuerint occurſu & conflictati. At Stoici mundum vnum ponentes, ortus eius authorem faciunt deum atq; cauſam: non item interitus. Cæterum vim quãdam in rebus exiſtentem interitus cauſam eſſe volunt, ab iis rebus oriundam quæ labori non cedunt, longinquis temporum circuitibus omnia ad ſe colligentem: ex qua rurſus inſtauratitium mundi natalem conſiſtere artificis prouidentia. Ariſtoteles perpetuum mundum ingenitũque eſſe cenſuit, nefariæque impietatis eos eſſe inſimulandos exiſtimat, qui his contraria diſſeruere, vt qui tantum opus Dei nihilo præſtare cenſuerint operibus manufactis. Opinio eſt auté, à Platone in Timæo, mundum eſſe genitum planè ſignificari. Sunt rurſus qui captioſe diſputent mundum Platonis opinione ita eſſe genitum, non vt ortus ille quidem auſpicatum

Democritus. Stoici. Ariſtoteles. Plato.

acceperit, quaten⁹ vero ita est coagmẽtatus, vt non aliam vtique compagem accepturus fuerit si contigisset eum nasci, genitum esse dictum: aut quia in ortu & commutatione partes eius videantur. Cæterum satius & verius est priori sententiæ assentiri. Idque nõ ideo tantum, quòd in toto ille opere parentem, fabrum, opificem, diuinum illum fictorem: hunc autem mundum concinnum, affabrefactum & oriundum vocat, ab exemplari primigenio intelligibili sensibilem effigiẽ, omnia quæ in illo sunt intellectu percepta, in seipso sensu comprehẽsa continentem, absolutissimum ad mentis perfectionẽ, simulachrum expressum ad sensum. Sed etiã quod Aristoteles hoc de Platone testificatur, qui cum esset philosophiæ reuerẽtia imbutus, nequaquam commisisset vt vanitatis crimine se obstringeret. Huius vero decreti

Hesiod⁹. Platonici parentem nonnulli Hesiodũ poëtam esse putant, ab eóque arbitrantur genitum mundum esse dictum, nec tandem occasurum. Et genitum quidem dictũ ob id putant, quòd ita scripserit.

Principiũ rerũ genitum chaos, edita tellus,
Qui situs est cũctis certissimus, apt⁹ in æuũ.

Non occasurum vero idcirco quoniã dissolutionem eius & corruptionem non indi-

Chaos. cauit. Cæterum Chaos Aristoteles locum ideo esse censuit, quia locum in rerum natu-

ram prius editum esse quàm corpus necesse est. Mundum igitur genitum esse apud Hesiodum clarissime patefactũ est. Multis autem ætatibus antè Moses apud Iudæos legũ conditor, dixit in sacris scriptis genitum esse mundum, interitusque immunem. Sũt enim quinque numero libri, quorum primũ Genesim nominauit, quem ita exorsus est: In principio creauit deus cælum & terram. Moses.

Verũ eam disputationem quæ mundũ ortus & interitus exortẽ astruit, satius est vt loco primo cõmemoremus, consentaneo ipsi exordio vtentes & cohærenti. Omnibus igitur quæ corruptionẽ admittũt, duas internitionis causas imminere suppositum est, alteram intestinam, extrinsecus alterã aduenientem. Etenim ferrum, æs, alias eiusmodi naturas compertũ habemus sua ipsas spõte exolescere, cum scilicet ærugo gliscens exest ipsa instar morbi serpentis: ab externis autẽ causis, cũ vel ædes vel vrbem flagrantem dissolui contingit ignis incubitu violento. Sicut animantibus quoque mors aduenit, morbis quidẽ è semetipsis: extrinsecus autem cũ aut iugulãtur, aut lapidatione obruũtur, aut exuruntur, aut suspendio intereunt fœdo genere mortis. Quamobrẽ si mundus necessitati interitus non exẽptus est, aut ab aliqua externa vi interibit, aut ab aliqua int⁹ existẽte. At vtrũq; eiusmodi est, causam vt cõminisci

Mundũ interitus exortem esse.

Duę interitus causæ.

eius nequeas. Siquidē extra mundum nihil eſt, cum omnia ad complementum eius in vnum coierint. Sic enim euenit vt vnus eſſet & totus, nec ſenectutem ſentiens. Vnus & totus, propter cauſam iam dictam: nec ſenectutem nec morbum ſentiens. idcirco quòd ea corpora quæ morbis & ſenio corripiuntur, caloribus & frigoribus aliiſque noxis euertuntur, quæ extrinſecus vehementer incumbunt. Atqui nullius earum incubitum mundus ſentit foras ſe proripiētis, mundumque ambientis, cūm nulla pars mundi ab eius cō page deſciſcat, integraque intus omnia cohibeantur. Quod ſi eſt aliquid foris, prorſus id aut inane ſit neceſſe eſt, aut natura quædā quæ affici non poſsit, quæq; nec actum nec paſſionem admittat. Nec vero ab vlla cauſarū diſſoluetur, quas intra ſe continet: alioqui pars maior eſſet & validior toto, quod eſt abſurdiſſimum. Nāque mundus cum vi inſuperabili præditus ſit, ducit ſecū omnes partes, à nulláque ducitur. Et hæc ratio prima. Deinde cū duæ ſint cauſæ internecionis rerū, vna inteſtina, altera extraria, quæcunque vnam earum ferre poſſunt, ea alterā etiā admittere prorſus apta ſunt. Cuius rei argumentum eſſe poteſt huiuſcemodi. Bos enim equus, homo, & alia eiuſdem modi, quoniam natura ita comparata ſunt vt ferro interimantur, morbo item ipſa conſequens

eſt vt pereant. Quandoquidem igitur nulla ab cauſa extraria mundum peremptum iri demōſtratum eſt, cum nihil foris ſit reliquū, nec ab vlla quidē vtique re interna perimetur. Obſtat enim antecedens demonſtratio, qua collectum eſt nobis, id demum eſſe obnoxium alterutri cauſæ interitus, quod naturæ conſtitutione capax eſt alterius. Accedūt etiā argumēta eiuſmodi è Timæo Platonis, vt ægrotationis mundū corruptioniſq; expertē credere debeamus. Principiorum quatuor vnūquodq; totū coagmentatio mūdi cōcepit: quippe quæ ex igne omni, omni aqua, omni aëre, & deniq; omni terra ita ſit coagmētata à cōditore, nulla vt pars vllius, nulla vis extra relicta ſit ab illo. Id quod eo conſilio agere inſtituit, primū, ut animal illud totū q̄ maxime perfectū perfectis è partibus eſſet. Deinde vt vnum eſſet, nullis ſcilicet reliquis ſuperantibusq; principiis è quibus aliud tale naſci poſſet. Deniq; vt ſenectutis & morbi expers eſſet. Probe enim ille intelligebat, quæcunq; corpore calido & frigido ſunt, quæcunq; vires habēt validas, ea omnia extrinſecus circūfuſa, & intempeſtiue incūbentia atque incidentia, & lædere ſolere, & morbis ſenectute ingenerādis ad tabē perducere. Eā ob cauſam eoq; cōſilio Deus totū è totis conſumatum fabricatus eſt mundū, ſimul ſenectutis, ſimul morbi immunem.

Mundus totus è totis fact⁹.

Vtrũ mũdus sit ingenitus. Hoc igitur ex Platone elogium de indissolubili cõpage mundi mutuandũ visum est,

At vero ingenitum quoque mundũ esse à veritate naturali defendere quis posit? Nã vt geniti comes est dissolutio, sic ingeniti ꝑpetuitas, nec ab re trimetrũ illud cõpositũ ẽ: Quiescunque nasci contigit, mori quoq;.

Hoc enim modo cõtinet dissolutionis cõsequentiam: Alterum est item argumentum, quo id astrui potest. Quicquid concretum perimitur, id in ea ipsa soluitur é quibus cõpositum est. Vnde fit, nihil vt aliud sit dissolutio, quàm regressus in id cuiusq; quod secundum naturam erat. Quare in cõtrarium id quoque valet, vt concretio violẽta sit rerũ coagmẽtatio in aliquid coëuntiũ, quod prę-ter naturam est propriam. Idq; sanè videtur esse verissimum. Siquidẽ quatuor ab elementis, quæ tota sunt vniuersi, cælo, terra, aëre, & igne particulas homines mutuati, tum demum hac temperatura constituũtur. Quæ vero mixtura concreuerunt, naturali ea situ fraudata esse contingit, quippe vt superno situ calor, sic inferno natura terrena fraudatur: quæ cum ipsa libramẽto prædita sit, tamẽ subleuata supernum locũ arripuit. Nãq; quod ĩ homine imprimis terrenũ ẽ, id sibi caput obtiñet. Atqui deterrimus est nexus, quẽ violentia astringit, qui vt violentus est ipse, ita tenorẽ asseruare diuturnũ nõ po-

Dissolutio.

Concretio.

Caput.

test,citius enim rapitur: vtiq; reb⁹ sic vinctis renitētibus, cōtumaciterq; reluctātibus præ desiderio quo affectæ sunt ad motū naturæ suæ cōgruū, quem ad ipsum cū propēsæ ipsę ferrentur, migrare inde coactæ sunt. Atq; vt est scriptū apud poëtā authorē tragœdiæ:

Terris profecta rursus in terras eunt,
Quæ germinant ab ætheris celso situ,
Rursum poli petunt situm soluta: nec
Quicquam periit, vt editum semel fuit.

Diremptū vero aliud ab alio, demū formā peculiarē accipit. Estq; lex illa intereūtibus reb⁹ omnibus sanctióq; perscripta. Vt enim cum vnumquodq; in rerum naturam primū extitit, quæ in eius concretione coierunt, ab ordine illa quidem naturæ suæ accōmodato ad habitū trāscunt inordinatum, id quod tum deniq; fit quum in loca discedunt contraria, ita vt modo quodā peregre esse more hospitum diuersáriq; videātur: ita quū didu cūtur interitu, ad propriā ea naturæ suæ sortem reuerti cōstitutum est. At mūdus huiuscemodi conditionis indigestæ expers est, id quod hac ratione, si placet, in prōptu est vt cognoscamus. Esto igitur mundū interire vt cōtigerit, nimirū partes eius in loca naturæ cuique dissentanea digestas esse, necesse erit tute actutū vt fateare, idq; ita futurūm existimare non degeneris est intellectus. Optimum porrò sitū cōtinuamque digestionem Elemen-

torũ ſitus optimus. & cohærentem partes mundi ſortitæ ſunt, id adeo vt vnaquæq; pars loco ſuo vt patria acquieſcens mutationem in melius non expoſcat. Quam ob cauſam medius exacte locus attributus eſt terræ, ſuper qua terrena cũcta ſunt collocata, adeo ſi quippiã terrenum ſurſum eiaculeris, id continuo terram verſus feretur. Hocq; argumentum eſt eum eſſe ſitũ è natura terrenorũ. Etenim vbi quid nulla vi delatũ ſubſiſtit & quieſcit, ibi locũ propriũ idipſum vtique ſortitum eſt. Iam vero aqua ſecundo loco à terra affuſa eſt in terram, aër & ignis è medio ſublimia abierunt. Et aër quidẽ, aquæ ignisq; cõfinem locum ſortitus eſt, ignis autẽ locum excelſiſſimũ. Quo euenit, vt ſi ſuccẽſam facem deorſum in terram demiſeris, nihiloſecius flamma reluctãs ſurſum illico reſiliat: nimirum ſeipſam arrigẽs ad naturalem ignis motum. Quapropter ſi internecionis cauſam motio præter naturã in aliis animantibus affert, in mũdo autem ſingulæ partes naturæ ſuæ congruẽter ordineq; deſcriptæ ſunt, regionesq; ſibi familiares ſortitæ, profecto corruptionis immunis merito mundus dictitabitur. Iam cuiuis id

Vnumquodque natura ſua aſſeruat. manifeſtum, quod vnaquæq; natura eorum aſſeruationi ſtudet atque incolumitati, quorũ ipſa natura eſt: atq; ſi fieri poſſet, immortalitatẽ aſcitã iis cuperet, vt arborea natura arbores ſeruatas cupit, & natura animalis

vnũquodq; animans. In singulis vero sempiternam efficere stabilitatem non valet repugnante necessitate, paruáq; iuxta magnáque senectutis immunia cõseruare. Siquidem vel penuria, vel flãma, vel rigor, vel aliud quippiam (qualia coire sexcenta in rerum necem solent) decũbentia, discutiunt ac dissoluunt, ac denique abrumpunt vinculum quod concreta coërcet ac cohibet. Quare mundi etiã naturam necesse est incolumitatem vniuersi velle & cõcupere. Nisi vero ipsa naturis deterior est singularum mundi partium, & vt fugax & stationis suæ ordinísve desertrix, pro sanitate morbum, pro incolumitate plena & absoluta machinari internecionem conatur. Immo vero vt verbis vtar Poëtæ,

Et facie & ceruice alias supereminet omneis
Conspicua in primis, sint pulchræ quamlibet illæ.

Atqui si hoc verũ est, corruptionẽ mũdus haudquaquã admissurus est. Quid ita? Nẽpe quod cohibitrix ipsius natura multifariam inuicta est vi roboris indomiti, omnibus ipsa præualens uiolentiis, quæ noxam allaturę fuerant ei interituræ. Quam ob causam Plato, Nihil, inquit, accedere vndecũq; illi potest. Sibimet enim ipse tanquam alimentum naturam suam præbet, omniáq; cum in seipso, tum vero à seipso & facit, & patitur, arte præstantissima conditus. Ipsum adeo suffi- Plato.

Alia rurſ° argum, mūdum incorruptibilem aſtruētiū

ciencē ſibi ſuppeditantēq; omnia coagmentator eius molitus eſt, talē vtiq; præſtantiorē eſſe ratus, quàm ſi aliquo deficeretur. Eſt autem & illa argumentatio huic demōſtrationi aptiſſima, ob quam me non latet gloriari quàmplurimos, ſeſēq; ea venditare tanquā numeris omnibus exquiſita irrefutabiliq; in primis, argumētariq; illos hūc in modum percunctabundos. Nam qua tandē de cauſa (inquiūt) Deus mundum diſturbādum ſtatuerit? nempe aut nullū poſtea mundum, aut vt alterum ab integro moliatur. At illud prius alienū à deo eſt, vt cui cōueniat incōditum rerum ſtatum digerere in ordinē, nec vice verſa res ordine cōcinnēq; conſtructas, ad congeriem indiſcretam inconditāq; reducere. Deinde ſi ita fecerit, iā erit ipſe obnoxius pœnitētiæ, & pœnitētia morbus eſt animæ atq; ægrotatio. Certe quidem aut mundū ordiri prorſus non oportebat, aut quādo cēſebat dignū ſe opus eſſe, in abſoluto quoq; opere acquieſcere. Alterū illud longiuſculā diſceptationē expoſcit. Etenim ſi alterum mūdū deus pro hoc qui nunc eſt, conſtructurus eſt, qui cōſtruetur, aut deterior, aut præſtantior, aut huic ſimilis erit. At horū quod elegeris cūq;, nō carebit reprehēſione. Quippe ſi deterior mundus futurus, & deterior quoq; opifex eius. At Dei opificia omni reprehēſione & Momo quoq; maiora, & ſimul

emendationem respuentia, vt quæ ad numeros omnes artificii ac sciétiæ confecta sint & exacta. Siquidē deo decorsi atq; congruum cum informia cōformare, tum rebus deformissimis formas visēdas decorasq; accōmodare. Sin erit ille mundus futurus huic similis, nimirū Deus opifex eius nihilo iā præsti terit pueris infantulis, qui circa littora interdū ludibūdi arenā cumulant altiusculè, subindéq; manibus nōnihil arenæ subducētes, cumulos hoc pacto excitatos disturbāt. Longe enim satius esset, nihil nec adimentē, nec addentem, nec in melius peiúsve commutātem, eum qui nūc creatus est, eodem in statu semel esse sinere, q̄ alterū similē hoc euerso adstruere. Quod si præstantiorem mundum facturus est, continuo fuerit etiam præstantior opifex. Ex quo sequetur illud, vt cum priorē cōficeret, & artificio ipse & ingenio imperfectior fuerit: id quod vel suspicari nefas. Adde quod quēadmodū cōuenit nos mortaleis opera quoque mortalia facere, ita Dei immortalis opificia erūt vtiq; interitus expertia. Et rationi congruit opera fabrefacta naturæ opificum similitudinem referre.

Ad hoc vero probādū Boëthus demōstrationibus vsus est q̄ appositissimis, quas dicēdas iam habemus. Neq; vero mūdus (inquit ille) genitus est atque interiturus, & non ex eo quod non est fiet aliquid, id quod Stoicis Boëthi demonstratiōes.

absurdissimum videtur. Quid igitur tandē? dicat aliquis. quia scilicet nullam quisquam cōminisci causam queat tabificā, nec internā, nec externā, quæ mūdum peremptura sit. nam extra mundum nihil est, nisi sicubi forsan vacuum, cum elementa prorsus in eū resoluantur ex suo concremento, intus autem nulla talis est ægrotatio, quæ dissolutionis causam afferre tantæ coagmētationi possit. Quod si citra causam vllā mūdus perimi potest, liquebit iā, ex eo quod in rerum natura nequaq̄ est, corruptionis causam enasci, id quod ne cōcipi quidem cogitatione potest.

Corruptionis modi tres

Et corruptionis quidem modos treis aiūt esse in vniuersum, vnū per diuisionem, alterū per peremptionem qualitatis res obtinētis, alium per cōfusionem. Quæ igitur è diremptis rebus constant, vt sunt greges, armenta, exercitus, chori: aut rursus quæ corpore coagmētato coacta sunt, ea diductione soluuntur atque diuisione. Peremptiuus autē qualitatis modus est cum ita fit habitus immutatio, vt ne diuersa quidem forma faciē quandam præbeat. Per confusionē fit corruptio, vt in medicamēto quod Tetrapharmacū dicitur. In quo vires eorū quę collata sunt exolescentes in vnius facultatis geniturā emoriuntur. Agedū, quonā istorum modorū cōuenit, vt mundū interire existimemus? Vtrū eo quē fieri per diuisionē docuimus? At mū-

Tetrapharmacum.

dus nec ex diductis est cōditus, ita vt partes eius dissipandę sint: nec è corporibus cōpactis, ita vt dissoluendæ: nec vt nostra corpora itidē vnitus est. quippe quæ natura sua fluxa potentiæ cedunt rerū innumerarū, vnde noxa ipsa afficiuntur: at mundi robur indomitū, præ multa abundātia omnibus rebus prævalens. Num igitur potissimum integra qualitatis peremptione corruptū iri mundū dicemus? Tamen eum modū interitus concipere nemo potest, quippe cum eorum sententia, qui contraria de mundi interitu sentiunt, mansura sit qualitas ipsa coagmenti, in minorē substantiam contracta, in conflagratione mundi. Age verò, superiorib9 modis interire mundus non potest, confusionis modo potest. Absit vt hoc posse interire censeamus. Alioqui reuoluemur eodē, vt admittendū nobis sit interitū mundi perinde futurum, atq; si nihil in rerū natura sit. Quo tandem isthuc modo? Quia si vnaquæq; partiū mundi vicissim interiret, alia mutari in aliā potuisset: cū verò omnia simul interire vniuersaq; dicūt, necesse est in intellectū id admittere, quod fieri non potest. Est verò operæpreciū quærere, qua ratione altera erit generatio mundi, cū omnia in ignem resoluta fuerint. Siquidē exhausta ab igne rerū natura, necesse erit ignē quoq; extingui alimēto defectum. Qui permaneret, incolumis esset

vtiq; ratio seminalis coagmētationis mūdi: igne verò resoluto, illico vnà cū eo illa quoque ratio cōsequens est vt perimatur. Atqui nefarium est geminatæque impietatis, non tantum mundum capitis crimine arcessere, sed etiam (si diis placet) natalē eius instaurationem tollere. Quasi verò inertia De⁹ & incondita rerum nece, omnibúsque perperam factis gaudeat. Proinde hanc disputationem in hunc modū exquisitius explicādam habemus. Ignis genus est triplex, carbo, flamma, & splendor. Carbo ignis est in terreno, hocque modo spiritualis habitudinis tanquam in specu latet ignis, & quasi locum insidet, vsquequaque intentus & ad extrema vsque pertinens. Flāma est id quod ab alimento sublime tollitur. Splendor est qui à flamma emittitur, oculis subseruiens & prælucens ad res spectabiles apprehendendas. Medium autem locum carbonis & splendoris flāma obtinet, vtpote quæ & extincta destinat in carbonem, & excitata lumen habeat, quod vi vstiua cum deficitur fulget. Quocirca si resolutum iri mundum deflagratione cēsuerimus, haudquaquā carbo fiet: quippe in quo terreni permultū reliquum esset, vbi ignem cōprehensum esse cōtingit. At placet cęterorum corporū nullum iam tum in rerū esse natura: terramque, aquam, aërem in ignem merum resolui. Nec

Ignis.

Carbo.

Flamma.

Splēdor.

verò flammam mãsuram esse placet, vt quæ sit ignei alimenti elatio in sublime. Ita cum relictum nihil fuerit, vtique ipsa tabescens protinus extinguetur. Quibus etiam ipsis hoc consequens est, vt ne splendor quidem inde existat, qui suapte ipse natura sol' subsistere nequit, à prioribusq; illis manat, flãma scilicet & carbone: ab hoc quidem ille minor, à flamma verò multus. At illa à conflagratione mundi non futura sunt, vt probatum est, ita ne splendor quidem erit postea. Quo fit omnino, ratio vt iniri non possit mundi denuo nascituri, cum seminalis nulla ratio confoueatur intus. Atq; ex iis planum factum est ingenitum mundum permanere & incorruptum. Quin absque his etiã sic explicatis foret, & hoc argumento quis vti posset ad huius ipsius rei fidem, idoneo quidem ipso: & vtique huiuscemodi, quod omneis in eam opinionem adduceret, duntaxat qui esse ipsi pertinaces præter modũ nõ obstinassent. Eorũ igitur quæ coniugatim contraria sunt inter se, vt hoc sit, illud non sit, omnino fieri nequit. Nam si album sit, & nigrum esse necesse est: & magno existente paruum erit, & impari par, & dulci amarum, & deniq; die existẽte nox erit, & quæcunque sunt alia huiuscemodi. Atqui si mundi inflammationem fore dederimus, inde futurum sequetur, quod fieri per rerum na-

Oppositorũ alterum non esse sine altero.

turam nequit, eritq; coniugatorũ alterutrũ cum alterũ iam non sit. Id quod licebit hoc pacto vt cognoscamus. Omnibus in ignem resolutis, leue quidẽ & rarum erunt & calidum, cum ignis sint propria: graue verò nõ erit, non densum, non frigidũ, quæ tamen è regione sunt illorũ. Quo modo autẽ potius inhibere quis possit mundi prorsus non futuri cõsequentiã, quæ in mũdi deflagratione sanè implicita est, si quidem ea detur, q̃ si ea quæ natura vna esse cõparata sunt, hoc ille pacto demõstrarit è sua coniugatione dirimi? At hoc posito cõiugationis diremptio eousq; progreditur, vt his æternum esse non negent, illis esse omnino negent. Iam verò quod sequitur, non longe à proposito quasiq; scopulo abscedere videtur eorũ, qui verũ vestigare instituerũt. Mundus si interiturus est, aut à causa quadã interibit, aut diuinit°. At verò aliunde dissolutionem nullo modo admittit, quippe qui nihil nõ contineat ipse & cohibeat. & quod continetur, debilius est vtiq; continente, cũ ab eo coërceatur vt præualente. A deo porrò destrui mundũ dicere, sceleratũ est in primis & nefariũ. Siquidem deum non ordinis dissoluti, non inconditæ rerũ rationis, nõ internecionis authorẽ, sed ordinis potius, & cõpositæ rationis, deniq; vitæ atq; omnis boni causam esse, apud eos in confesso est, qui vere de reb⁹ opinati sunt.

Mundũ à Deo destrui non posse.

At verò eorũ qui ſempiternũ mundum eſſe cenſuerunt,ſunt qui argumẽtationi ambitioſæ artificioſæque indulgentes, inſuper etiã hac diſputatione vtuntur ad aſtruẽdam opinionẽ ſuam. Quatuor eſſe modos internecionis rerum ſumma diuiſione cõuenit, additionẽ,ademptionem,transpoſitionem, mutationẽ. Binarius igitur acceſſione vnitatis in ternariũ interit, cum iam binarius nõ ſit,at quaternari⁹ vnitatis deceſſione,in ternarium. Tranſpoſitione autẽ interit Z elementum in H, cũ lineæ quidem obliquæ & parallelæ ſubiectæ ad rectos angulos fuerint:linea autẽ ad vtranq; protenta & pertinens,in tranſuerſum deflexa,ipſas ad rectos angulos attigerit & copularit.Immutatione fit corruptio, cũ vinum in acetum vertitur. Nullus autẽ modorum, qui enumerati ſunt mundũ attingit prorſus.Nam quid hic comminiſci quiſquam eorum poſſit? additũ iri quippiã mundo ad eius demolitionẽ? Quonam tandẽ id modo, ſi nihil eſt extra mundum quod non idem pars ſit mundi totius? Quicquid enim, id eſt,cohibetur ab eò & edomatur. Quid igitur?ablatũ iri? Primũ ſi id fateare,quicquid erit quod auferetur, id denuo mũdus erit hoc mũdo minor. Deinde non eſt inire rationẽ qua corpus aliquod ab vniuerſi coaleſcentia diremptũ vſquam diſpergi poſſit.Age nunquid partes mundi

Internecióis modi quatuor.

transponendas comminiscemur ad mundi corruptionē? Atqui in simili permanebūt locos non permutantes. Neq; enim vnquā futurū est, vt omnis terra inuehatur aqua, nec vt aqua aëre, & hic igne, sed quæ in terra naturæ grauis sunt, aquaq; medium locū obtinebunt, ita vt terra fundamenti vice fulciat, illique aqua innatet: at aër ignisq; quæ natura leui sunt, superiorem locum teneant.

Aliū mūdū fieri nō posse.

Neq; verò existimandum eo modo interiturū mūdum, alius vt ex alio fiat. Nanq; elementorū immutatio æque pollet per omnia. Et quod æque pollet, id firmitudinis indeclinabilis causa est atq; illabefactabilis permāsionis, cū nullo exuberātiore inferius sit. Quam ob causam refundendarū virium, repēdēdarúmq; vicissitudo regulis illa quidem adæquata proportionis, artifex est sanitatis atq; incolumitatis in æuū pertinacis. Vnde fit demonstrabile mundū esse sempiternum.

Theophrastus in eos q mūdum sempiternum esse negant.

Porrò autem Theophrastus eos qui ortū mundo interitúmq; obiiciunt, quatuor rebus falsos esse existimauit, terræ inæquabilitate, maris recessu, singularū partiū vniuersi dissolutione, terrestriū deniq; internecione generatim per animātia grassante. Primùm sic astruitur. Nisi terra principium ortus cepisset, nulla pars eius altius insurgēs conspiceretur, complanati verò montes omnes fuissent, collésq; ad æquilibriū reda-

ᵭi cum planicie camporũ. Siquidem tot im bribus quotannis ab æuo labentibus, locorũ in altum editorum alia torrentibus abrupta fuiſſent (vt ſimile veri eſt) alia ſuopte nutu ſubſidentia peſſum iuiſſent, omniaque iam vſquequaq; perplanata diffunderētur. Nunc verò crebræ ſalebræ, permultorumq; montium iuga in altum exurgentia, indicia ſunt terrę minime ab æterno editę Alioquin iam olim (vt dictum eſt) in tempore infinito im brium vi terra à fronte (vt dicitur) ad calcē, ad viæ vehicularis æquabilitatē complanata videretur. Et eſt ea vis aquæ præſertim ſuperne caſitantis, vt quædã vi extrudat, quædam continenti ſtillicidio caua reddat, ſolum etiam vt prędurum ac glareoſum foſſorum more ſubigat. Quin & mare ipſum (inquiunt) imminutum eſt. Indices ſunt inſulæ celeberrimæ Rhodos & Delos. Quæ cum olim mari ſummerſæ & obrutæ nõ cernerentur, temporis interuallo exiſtere ſenſim cœperunt & conſpici, vtiq; mari ſenſim itidem ſubſidente, vt quidem vetuſtis proditum eſt hiſtoriis, quæ de ipſis conſcriptæ ſunt. Ingentes etiam ſinus maris altiſſimósque exaruiſſe aiunt, continentique acceſſiſſe: ſimul tractus adiacentes in apertum protuliſſe, partibus illos quidem luculentis nec ſterilibus, vt apparuit cum ſeminari cœpti eſſent, arbuſtisque conſeri, His etiam

Maris minutio.

accedũt indicia maris è prisca proluuie retroacti, id quod scrupi & cōchulæ marinæ in sicco destitutę ostẽdunt, aliâq; eiusdẽ modi, quę mari ęstuãte expui solita sunt. Quod si mare imminuitur, minuetur & terra, longisq; annorũ circuitib9 prorsus vtrunq; elementũ resoluetur, & vniuersus vero aër exhaurietur, ad imminutionẽ sensim vergens, omniaq; è suo concremẽto in vnã naturam ignis liquescent. Ad tertii autẽ capitis structurã hoc argumento vtuntur. Id (inquiunt) omnino peritturũ est, cuius partes obuiæ & expositę interitui. At mũdi partes tales sunt, igitur mundus huiuscemodi. Nunc agitandũ quod huc digrediendo reieceramus. Quænã igitur terrę pars (vt ab eodẽ auspicemur) vel maior, vel minor tẽpore nõ dissoluetur? Quid lapides firmissimi? nónne tu more putrifico affecti putrescũt tandẽ, atq; ab habit9 infirmitate (qui tenor est spũalis, vinculumq; fracturæ non immune, tametsi ægre est solutile) fragiles & fluxi in tenuem primũ puluerẽ soluti, deinde cõsumpti, tum demum prorsus euanidi abeunt? Aqua verò quid ipsa? nõne si immota manserit, nec flatu diuẽtiletur, quiete enecatur? certe quidem mutari eã constat, grauεolentiáq; infici, more animãtiũ quæ anima priuatę sunt. Enimuero aëris corruptiones nulli non apparent manifesto. & ægrotare enim aër & tabesce-

Partium mũdi dissolutio.

Habitus.

re,& modo quodã emori è sua naturali constitutione poteſt. Quod ſi animi intẽtionem ad indagandã rerũ veritatẽ potius,q̃ ad nominũ appellationumq; decorũ contuleris,quidnã aliud dixeris peſtem eſſe, q̃ aëris mortem?qui noxã qua afficitur in omnium necẽ effundit,quibus quidẽ ipſis participib. animæ eſſe cõtingit.Iam de igne quid opus eſt verboſius diſputare? qui ſimul alimento defectus eſt,tabeſcit & extinguitur. Quare ſi vnã quãque mundi partium ſuum manet exitium,nimirũ mundus ipſe qui ex iis cõpoſitus eſt,exitii nõ erit expers. Quartam illi eandẽmq; vltimam rationẽ exquiſitius hunc in modũ proſequũtur.Si mundus (aiũt ipſi) ſempiternus eſſet, eſſent etiã animalia ſempiterna, eoq; magis genus hominũ tale eſſet,quo reliquis eſt pręſtantius.At ſero genitos homines apparebit iis qui rerũ naturas inſtiterint perſcrutari. Eſt enim veriſimile atq; adeo neceſſariũ, ſimul cũ hominibus in naturã rerũ editis, artes quoq; extitiſſe vt æquales hominibus. Nec id modo eã ob rẽ ꝙ naturæ rationali ea ſunt accõmodata quę artificio conſtant,ſed etiam quòd abſque iis artibus eſſet, vita non procederet. Id ex fabulis videre poſſumus,ſi ſingularum tempora recenſeamus,quas diis poëtæ ſingulis affictas decantauerunt. Cæterum niſi homo

Peſtis.

Animãntiũ conditio mortalis.

Loc⁹ hic mutilat⁹.

dor eos (vt opinor) vetuisset tale quicquam ꝓloqui. Quare eos docere nequaquã grauabimur. Est autẽ quod dicturi sumus nec nouũ nec nostrũ, sed antiquorũ inuentũ, hominum sanè sapientum, qui nihil non ipsi disputatum reliquerunt, eorum quidem certe, quæ ad scientiam necessaria esse censentur. Quum igitur natura ignita in terra condita sursum versus rapitur ignis vi naturali, ad proprium locum tendit, ac si quantulum sit cunque spiraculum nacta, sublime rapit secum multum terrenæ naturæ, & quàm potest plurimum, simul ac verò terra ipsa eruperit, fertur compendiosa via. Ea porrò terrena natura ignem subsequi erumpentem coacta, ad altitudinem multam assurgens, in arctum contrahitur ac tandem in verticem desinit mucronatum, igneam naturam imitando. Siquidem tunc necesse est vt leuissima natura & grauissima, quæ sunt aduersariæ, inter se confligentur, cum vtraque in locum suum suopte nutu vrgeatur, contraq; alterius violentiam altrinsecus distrahatur. Proinde natura ignea terram sublimem secum rapiens deòrsum vergere cogitur terreno degrauante, terra verò in infimum libramento suo depressa, contraque ab igne suspẽsa, qui suamet ipse sponte sublime attollitur, vix tandem ipsa à præua-

De ignis ac terræ natura.

lente potentia atque subleuatrice euicta, sursum in sedes ignis protruditur atque ibi consistit. Quid igitur mirum est, montes aquis imbrium torrentibus non absumi, cum vis ipsos continens, à qua etiam eriguntur, quàm firmissime in eis atque validissime implicita sit? Soluto enim vinculo quo cohibentur, dissolui eos consentaneum esset in aquásque dissipari, nũc verò ignis vi astricti pertinacius resistunt aquarum delapsibus.

Montes cur imbrib⁹ nõ absumãtur.

Atque hæc sunt quæ dicẽda habuimus, cò pertinentia, vt doceremus inæquabilitatem terræ argumentum non esse fide dignũ ortus & interitus mundi. Ad id porrò quod argumẽtantur de minutione maris, hoc modo responderi conuenienter potest: Non ipsos tantummodo mari emergentes insulas oportere considerare: cæterum aliquæ ne cõtinentis partes vndis olim abruptæ, marique adobrutæ, denuo redditæ sint continenti, id verò ipsos perpẽdere oportere. Studio enim naturæ indagandæ (quam φυσιολογίαν vocant) aduersa est contentio, cum id studium antiquissimam curam habeat veritatis inuestigandæ. Quid quod vice versa ingenti cõtentione studii eius inquiritur, quot quantæque partes non oræ tantum maritimæ, sed etiam mediterraneæ, excurrente mari haustæ sint? Nam quòd terra mari admisso mer

sa, nauibus nunc onerariis nauigatur & pręgrandibus, historia testis est Siculi freti cantatissima, nemini non doctorum cognita.

Olim Italia Siciliam continenti adiungebat: cum verò vtrinque ingens mare violentis flatibus aduersisque incurrisset, confinis angustia terræ interrupta, mari summersa est: secundum quam angustiam vrbs Rhegium condita ab euentu interrupti soli appellata est. contraque hominum expectationem cõtigit, vt duo quidẽ maria terræ prius angustia dirempta, eo casu coniungerẽtur, in vnumque confluerent, terra verò vt antè vnita, cõfini pòstea freto diduceretur. quod fretum tunc interfusum, effecit, vt quæ olim erat continens, nunc insula Sicilia sit violentia casus edita. Fama est & alias vrbes mari superfuso absorptas postea non extitisse. Nanq; circa Peloponnesum aiunt tres vrbes vehemẽti maris impetu esse mersas, Aegirã, Burã, Helicen in edito loco sitã. Certe quidem Aplantis insula, Asia simul Aphricáq; maior (vt author est in Timæo Plato) diem vnum noctémq; factis terræmotibus inusitatis & portentosis cũ diluuiis deorsũm sidẽs, repente absorpta est à mari atq; cõdita, mari eo casu ibi facto nequaquã nauigabili atque voraginoso. Quocirca ad mundi interitũ asserendũ nihil cõtulit cõmentitia ma

Sicilia olim continens.

Rhegiũ.

risimminutio. Etenim si aliunde mare recedit, aliò etiã immeando terras mergit. Quãobrẽ istos oportebat nõ alterũ tãtũ contẽplatione prosequenteis, sed vtrunque, ita demũ de ea re statuere, non aliter atq; in ciuilibus cõtrouersiis factitatur, quibus in ipsis legitimus iudex nõ ante qua de re agitur sententiã profert, q̃ ipsos ambigentes vicissim audierit. Iam verò tertiũ illud argumẽtum à sese refellitur, vt absurda percunctatione deductum statim prima argumentatione effata. Neque enim id protinus interiturum est, cuius partes omnes intereunt. Id verò demum omnino interibit, cuius partes omnes vnà & vniuersæ in eodem atq; eodem tempore intereunt. Neque verò non is viuere potest, cuius summus digit⁹ abscissus est, cui tamen si ipsi communis vsus omnis partium membrorumque auferatur, illico interibit. Eodémque modo si cuncta simul elementa sub vnumque tempus exolescerent: nimirum fateri necessarium foret mundum corruptionis esse capacem. Sin elementa singula priuatim in naturam mutantur vicini elementi, immortalitate prædita esse elemẽta ex eo magis declaratur, quàm esse interitura. Porrò autem illa summa est stultitia, genus humanum ab artibus æstimare, cuius argumenti absurditatem siquis pro-

Eleméta in alia verti ex aliis.

bandam esse sequendamque censuerit, recentem ille planè mundum hoc argumento demonstrauerit, vtpote vix ante annos mille conditum: siquidem omnes artium inuentores, quos memoria prodente accepimus, eum numerum annorum non excesserunt. Quod si artes æquales esse generi humano dicendum est, consulta iam nobis naturali historia opus erit, nec enim citra animaduersionem supinaque fiducia nobis id dicendum est. Historia porrò quænam est illa? Terrestrium interitus non vniuersorũ vnáque omnium, sed plurimorũ, causis duabus maximis imputantur, ignis scilicet & aquæ inusitatæ abundantiæ, & quam nemo exprimere queat sermone. Vtranque enim illam vim in terris decumbere alternis aiunt, longissimis annorum circuitibus. Interdúmque deflagratio grassatur, cũ flumen ignis ætherii superne effusum, multisque in locis & variis sparsum tractus ingentes orbis terrarum permetitur. Interdum proluuies euagatur, vniuersam aquarum naturam detractam secum inuehens, cum interim amnes atq; torrentes expatientur, non alueos tantum supergressi, sed etiam vltra constitutum modũ incrementi exundantes. Proinde his duobus modis aliisq; innumeris, sed minorib9, quũ genus hominum perire contigit, artes

quoque perire necesse est. quippe artem sine artifice subsistentem haudquaquam videre est. Cum verò in medium morbi grassati iam languescere cœperint & cedere, simúlq; hominum genus repubescere, & tanquam fruticari ex humanis reliquiis quæ superstites sæuientibus malis, degrauantibúsque fuerunt, ibi tum rursus artes excitari incipiunt, non quòd non & ante illæ quidem natę fuerint, sed quòd circuncisa artificum multitudine raræ esse cœperant. Hæc ferè habebamus, quæ à maioribus accepta, de mũdo diceremus pro ingenii facultate.

FINIS.

OCELLVS LVCANVS HAEC DE VNIVERSI NATVRA CONSCRIPSIT,

partim quidẽ claris argumẽtis ab ipſa natura edoctus, partim etiã opinione cũ ratione cõiũcta, id quod erat conſentaneũ, intellectu coniiciens.

GVIELMO CHRISTIANO Aurelio, Medico, interprete.

Mihi profectò videtur vniuerſũ & interitus expers & ortus eſſe. Semper enim & fuit, & erit. Si enim erat temporale, non amplius iam eſſet. Ita igitur & ortus & interitus exors eſt vniuerſum. Neque enim ſi quis genitũ ipſum exiſtimauerit, inueniat in quid corrumpatur, & diſſoluatur. Et ex quo genitũ eſt, illud vniuerſi principium eſt: & in quod rurſum corrumpetur, illud vniuerſi finis erit. Id autẽ omne quod gignitur, cum omnibus gignitur: & quod corrumpitur, cum omnibus corrũpitur. Sed id quidẽ fieri non poteſt. Ortus igitur & finis vniuerſum eſt exors. Non aliter certe res habet, quàm hoc modo. Id omne, quod generationis initium cepit, ac diſſolutionis particeps futurum eſt, duas mutá-

tiones suscipit, alteram quidem tum à minori in maius, tum à deteriori in melius. Vocatur autem, illud à quo mutationis initiũ ceperit, generatio: in quod peruenerit, vigor siue status. Alteram verò, partim à maiori in minus, partim à meliori in deteriuſ. Terminus autem huius mutationis, nominatur corruptio & dissolutio. Ergo si totum est vniuersum genitum est, & corruptoini obnoxium, geniti mutatio facta & à minori in maius, & à deteriori in melius. Quare etiam à maiori in minus, & à meliori in deterius mutabitur. Mũdus igitur genitus incrementũ cepit, & vigorem: & rursus corruptionem sortietur, & interitũ. Omnis enim quę exitũ habet natura, tria habet extrema, & duo interualla. Tria quidẽ extrema sunt, generatio, vigor, & interitus. Interualla autẽ & illud quod est à generatione ad vigorẽ, & illud quod est à vigore ad interitum vsque. Atqui, totum ac vniuersum nullã nobis ex se talem coniecturã præbet. Neque enim ipsum generati nouimus, neq; in melius, quidem & maius mutari, neque maius vnquã, aut minus fieri. Sed idem per se semper constat, & æquale, suíq; simile. Signa autem, & coniecturæ euidentes ipsius sunt, ordinationes, moderationes, habitus, positiones, spatia, virtutes, velocitates inter se, & tarditates. Numeri quoque, & temporum cir-

cuitus. Omnia enim talia mutationem & diminutionem admittunt secundum naturalis generationis decursum. Nam vigorē, propter virtutē sequuntur maiora & meliora: interitum verò, propter imbecillitatem, minora & deteriora. Totum autem, & vniuersum, appello mundum quantuscunque est. Hanc enim idcirco sortitus est appellationem quòd ex omnibus videlicet cōcinnè sit digestus. Est enim omnium naturarum integer, & perfectus globus. Siquidem extra vniuersum nihil est. Si quid enim est, in vniuerso est: & cū hoc, quicquid est, hoc òmnia intra se continet, alia quidem vt partes, alia verò vt propagationes. Quæ igitur vndique mundo continentur, mundo cohæreſcunt, mundus autem secum, non cum vllo alio cō iunctus est. Reliqua enim omnia constituta sunt non perfectam quidem habentia naturam, sed egent ad ea quæ foris adhærent, accommodatione. Animalia quidem, ad respirationem: visus ad lumen: Reliqui item sensus, ad proprium subiectum: & stirpes ad ipsum ortum. Sol autem, & Luna, & planetæ, & fixa sidera pro rata parte singula cōmuni descriptione egent. Ipse vero mundus ad nihil aliud, sed ad sese accommodatur. Quid autē verum est hoc, quod dicitur, hac ratione facile cognitu fuerit. Ignis enim cum sit alteri caloris causa, ipse ex seipso calid⁹ est.

Et mel cum alterum dulce reddat, ipsum ex se dulce est. Atque demonstrationum causæ, cum res declarent obscuras, ipsæ ex seipsis manifestæ sunt, & cognitæ. Ad hunc igitur modum etiam quod aliis causam perfectionis adfert, ipsum ex seipso perfectũ est. Et quod aliis conseruationem, & permãsionẽ præbet, ipsum ex seipso seruatur, & permanet. Et quod est aliis causa compagis, ipsum ex seipso compactum est. Atqui mũdus aliis tribuit essentiã, conseruationẽ, & perfectionẽm: æternus igitur ex seipso, & perfectus ipse est, ac perpetuo permanens: & ob id ipsum aliis omnibus vt durent & permaneant, auctor est. Omnino verò si etiam dissoluitur vniuersum, vel in id quod est vtiq; dissoluetur, vel in id quod non est. Sed in id quod est, non potest. Non erit enim vniuersi corruptio, si in id quod sit, dissoluatur. Id quod est enim, aut est vniuersum, aut certè pars quæpiam vniuersi. Atqui neque in id quod non sit, dissoluetur. Nam fieri non potest, vt quod est ab iis quę nõ sint aboleatur, aut in id quod non sit resoluatur. Siquidem corruptionis & interitus exors est vniuersum. Quod si quis ipsum corrũpi putet, ab aliquo vel eorum quæ extra sunt, vel eorum quæ intra se continet, corrumpi necesse est. Atqui neque ab aliquo eorum, quæ sint exterius: extra enim vniuersum nihil est.

Alia enim omnia sunt in vniuerso. Et totum & vniuersum, mundus est. Sed neq; etiã ab iis, quæ sunt in ipso. Oporteret enim hęc maiora simul, & potentiora esse vniuerso. Hoc autem verum non est. Ducuntur enim omnia ab vniuerso, & per ipsum conseruantur, & concinnata sunt, & vitam, ac animam habét. Quod si neque ab vllo exteriorũ, neque ab vllo interiorum, corrũpetur vniuersum, corruptionis igitur atque interitus expers est mũdus. Hunc enim diximus vniuersum esse. Itemque natura tota penitus perspecta, continuum à primis & præcipuis secundum proportionem tollit, tabefaciens quod est continuum, & omnino mortalitatem inuehens, ac propriæ constitutionis decursum admittens. Nam prima, quæ mouentur, per se sola, ac eodem modo, orbem permeant, decursum non deinceps, & cõtinenter, nec verò secundũ locum, sed secũdũ mutationem. Ignis enim in vnum conueniens aërem generat. aër verò aquam: aqua autem terram. Sed à terra idem est mutationis discursus, vnde inceptum sit mutari. Verum fructus, & plurimæ ex plantis, à seminibus generationis originem traxerũt. Quæ verò in fructus venerunt, & fructus elicuerũt, rursus in semen resolutionem admittunt, natura ab eodem, & in idem decursum peragente. Homines autẽ, & reliquę animantes, suc-

cessiuè potius vniuersum naturæ termi-num subeunt. Neque illis est inter se mutationis vndiq; circunfusa cohibitio(quę Græcis est antiperistasis) quemadmodum est in igne,aqua,aëre,& terra. Sed vbi quadripartitum ex quatuor elementis circulum,ætatũq; mutationes absoluerint, dissoluuntur, & moriuntur. Ex his argumenta, & coniecturæ ducuntur,hoc quidem vniuersum, & vndique continens, permanere semper,& seruari:hæc autem,particularia,& quæ in ipso generantur,dissolui,& corrumpi. Præterea expers initii ac termini forma, & motus, & tempus, & substantia fidem facit,mundum nec factum esse, ne corruptioni obnoxium, formæ siquidem ratio circulus est. Hic autẽ omnibus ex partibus æqualis est,& sui similis:vnde est principii,& finis exors. Et ipsa mot⁹ species in circulo est,sine exorbitatione,sine decursu. Tẽpus etiam in quo fit motus,est infinitum,propterea quod nullũ principium accepit id,quod mouetur, neque finem accepturũ est. Rerum verò substantia est immutabilis,& perpetua,ex eo quod neque à deteriori in melius, neque à meliori in deterius transmutari nata sit. Ex his igitur omnibus clarè satis probatum est mundum nec genitum nec interiturum esse. Sed de toto,ac vniuerso iam satis dictum. Quoniam verò in vniuerso est,tum generatio,tũ

generationis causa: & generatio quidem est vbi fit subiectorum mutatio, & exitus: generationis autem causa, vbi subiectū cōformatur vbi clarum est, ad generationis quidem causam, & actionem & motum: ad eam autē recipiendam, & affectionē spectare & mutationem dirimitur autem impatibilis mundi pars & immutabilis à patibili & mutabili. Isthmus enim immortalitatis, & generationis, est Lunæ cursus. Quod quidem sursum est, supra hanc, deorū genus continet: quod verò deorsum est Lunę subiacet, cōtentionis est & naturæ. Partim enim est in ipsa generatorum mutatio, partim etiam corruptorum generatio. In qua autem mundi parte natura, & generatio potestatem habent, oportet hæc tria subesse. Primum quidem corpus ad tactum omnibus in generationē abeuntibus subsidens. Hoc autem esse debet omnium capax & ipsius generationis exēplar, ita se habens ad ea, quæ ex ipso generātur, vt aqua ad saporē, strepitus ad silentiū, tenebræ ad lumen, & materia ad id quod arte efficitur. Etenim aqua saporis & qualitatis est expers, si conferatur cum dulci, & amaro, & similiter cum acri, & salso. Et aër, inexpressus est, si cū strepitu, & verbo & carmine cōferatur. Et tenebræ &c. nullius sunt coloris, & formæ, si conferantur cum splendido, & flauo & albo. materia verò, cum sta-

tuaria arte conferenda. Igitur potentia quidem ante generationem omnia sunt in hoc: actu verò, vbi nata sunt. Vnum ergo primũ hoc oportet subesse antè, quã generatio fiat. Secũdum autẽ repugnãtias, vt mutationes, & alterationes fiant, patiente materia & affectionem admittente: & vt virtutes contrariis se modis afficientes tandem neque vincant, neque vincantur. Sunt autem hæ, calor & frigus, humor & siccitas. Tertium verò, substantiæ: quarum sunt hæ virtutes, ignis, aqua, aër, & terra. Differunt autem substantiæ à virtutibus. Illæ enim in loco aliæ ab aliis corrumpuntur: virtutes autem neq; corrumpuntur, neque gignuntur. rationẽ enim corporis expertem sunt sortitæ. Ex quatuor verò, calidum quidem, & frigidum sunt tanquam officientes causæ: siccum autem, & humidum tanquam materia, & ad patiendum idonea. Primum verò, materia omnium est capax: omnibus enim cõmuniter subiacet. Quapropter primum potentia corpus sensibile, principium est. Secundum repugnãtiæ vt caloris & frigoris, humoris & siccitatis. Tertium verò, ignis, aqua, terra, & aër. Hæc enim inter se permutantur. Repugnantię verò etiam permutantur. Differentiæ autem corporũ sunt duæ. Quædam enim sunt primorũ: quædam verò ab ipsis generatorũ. Calidum enim & siccum, frigidum & humidũ

ſunt primorum. Graue autem, & leue, denſum & rarum, ſunt ex illis generatorum. Sũt autem vniuerſæ ſexdecim: calidum & frigidum: humidum & ſiccum: graue & leue: rarum & denſum, politum & aſperum: durum & molle: tenue, & craſſum: acutum, & obtuſum. Horum autem omnium explorator, ac iudex tactus eſt. Quapropter & primũ corpus, in quo poteſtate ſunt ipſæ differentiæ, ſenſibile eſt ad tactum. Igitur calidum quidem, & ſiccũ, & rarũ, & acutum, ſunt ignis: frigidum autem, & humidum, denſum, & obtuſum, aquæ. Molle verò, & politum, & leue, & tenue, aëris. Denique durum, & aſperum, & graue, & craſſum, terræ. Verum ex quatuor elementis, ignis, & terra ſunt exceſſus, & extrema contrariorum. ignis quidem eſt caloris exceſſus, vt glacies frigoris. Si igitur glacies eſt humidi, frigidíque concretio, ignis etiam erit ſicci, calidique feruor. Quare nihil ex glacie gignitur, neque ex igne. Sunt igitur ignis, & aqua, extrema: aqua verò, & aër media: promiſcuam enim habent corporaturam. Neque verò duo contraria ſunt. Oportet enim intermedium eſſe. Sunt enim media extremis oppoſita. Calid⁹ ſanè, & ſiccus eſt ignis. Aër verò calid⁹, & humidus. Aqua humida, & frigida. Terra frigida, & ſicca. Cæterum aëri & igni calor

est communis. Aquæ, & terræ, frigus cõmune. Terræ, & igni, communis est siccitas: Aquæ vero, & aëri, humor. Sũt etiam vniuscuiusque propria: ignis quidem, calidum: terræ vero, siccum: aëris humidum, & aquæ frigidum. Itaque secundum ea, quæ sunt illis cõmunia, permanẽt ipsorum substantiæ: secundum verò propria, mutantur, quoties contrario contrarium dominabitur, vt cum aëris humor, ignis siccitatem superat: aquæ frigus, aëris calorem: & terræ siccitas, aquæ humorem: & contrà aquæ humor, terræ siccitatẽ: aëris calor, aquæ frigus. & ignis siccitas aëris humorẽ. Et ita mutationes, & generationes aliæ ex aliis inter se fiunt. Subiectum verò corpus, & quod mutationes accipit, est illud omnium capax, & potẽtia primum ad tactum. Fiũt autem mutationes vel ex terra in ignem, vel ex igne in aërem, & ex aëre in aquam, & ex aqua in terram. Itẽque, cum id quod est in vnoquoque contrarium, corruptum fuerit, eo quod est cognatum, ac conueniens, relicto. Fit igitur generatio, quoties vna repugnãtia corrupta fuerit. Quandoquidẽ enim calidus & siccus est ignis: aër verò calidus & humidus, ipsorum vtriq; calidũ est cõmune. Propriũ autẽ, igni quidem siccum, aëri verò humidum. Cum igitur aëris humor superauerit ignis siccitatem, in aërem ignis mutatur. Rursus, quoniã

humida & frigida est aqua, aër verò humidus & calidus, ipsorum vtrique commune est humidum. Proprium autem, aquæ quidē humidum, aëri verò calidum. Quoties igitur aquæ frigus vicerit aëris calorem, fiet ex aëre in aquam mutatio. Et rursus, terra quidem frigida est & sicca, aqua verò frigida & humida: horum vtrique frigidum est commune: Proprium autem terrę quidem, siccū, aquæ vero, humidum. Quando igitur terræ siccitas vicerit aquæ humorem, fiet ex aqua in terram mutatio. A terra verò sursum contra progrediendum. fit autem per immutationem, cum totū toto potentius est, & duæ qualitates contrarias corrumpunt, in quibus nihil est commune. Quoniam enim calidus & siccus est ignis, aqua frigida & humida, cum aquæ humor superauerit ignis siccitatem: & aquæ frigus, ignis calorem, fiet ex igne in aquam mutatio. Contrà, terra quidem frigida est & sicca, aër verò calidus & humidus. Cum igitur terræ frigus vicerit aëris calorem, & terræ siccitas aëris humorem, fiet ex aëre in terram mutatio. Quoties verò aëris humor exhaustus fuerit, & ignis calor ex horum vtroque generabitur ignis. Relinquitur enim aëris quidem calor, ignis verò siccitas. Siquidem ignis calidus est, & siccus. Cæterum, vbi terræ frigus corruptum

fuerit,& aquæ humor, ex horum vtroq; generabitur terra. Relinquitur enim, terræ quidem ſiccitas, aquæ verò frigus. Terra autem frigida eſt, & ſicca. Verum quando fuerit aëris calor corruptus & ignis item calor, nequaquam fiet generatio. Nam in vtroq; relinquũtur cõtraria, in aëre quidem humor, in igne verò ſiccitas: humor autem opponitur ſiccitati. Et rurſus quandocunque terræ fuerit corruptum frigus, & aquæ ſimiliter frigus, neque hoc modo generatio fiet. Relinquitur enim terræ quidem ſiccitas, aquæ verò humor. Siccitas autem eſt humori contraria. Sed de primorum corporum generatione, & quomodo, & quibus ſubiectis generentur, paucis quod ſatis ſit, dictum eſt. Quando verò neque interiturus, neque genitus eſt mundus, neque generationis initium accepit, neq; finem vnquam accipiet, oportet, & id, quod in alio generationem facit, & quod in ſe ipſo generat, ſibi ſimul mutuò ſubeſſe. Quod quidem generationẽ facit, id totum eſt ſupra lunam. Propius autem ſol ſe ipſe accommodat, qui per acceſſus, & receſſus, aërem iugiter mutat, pro frigoris, & caloris ratione. Ad quod ſimul ſequitur, & terram mutari, & omnia, quæcunque ſunt in terra. Rectè verò ſe etiam habet circuli qui ſignifer dicitur, obliquitas, ad ſolis mo-

tum. Hæc enim generationis quoque caũsa est. Generaliter vero ad hoc facit ordinata vniuersi descriptio, vt in ipsa sit, aliud quidẽ agens, aliud autem patiens. Quod igitur in alio generat, id est supra lunam. Quod verò in seipso, infra lunam est. Sed quod ex ipsorum vtroque constat, altero quidem diuino, semper currente, altero verò generabili, semper mutationẽ admittẽte, mundus vtiq; est, hominis autem primũ generationis principium non fuit ex terra, neque aliorum itẽ animalium, neque plantarum: sed descriptio cum semper sit, necesse est, quæ insunt descripta, simul subesse. Primum enim cum mundus semper sit, necesse est ipsius etiam partes simul esse. Partes dico, cælum, terram & quod medium interest, quod quidem sublime, aëriumque nominatur. Non enim absq; his, sed cum his, & ex his est mundus. Partibus autem simul existentibus, necesse est ea quoque simul existere, quæ ab ipsis continentur cælo quidem, Solem, Lunam, fixas stellas, & planetas: terra verò animalia, plantas, aurum, argentum: sublimi & aërio, spiritus, ventos, mutationem in calidius, & mutationem in frigidius. Cum hoc enim cælum existit, vt ea scilicet quæ complectitur, habeat: & cum hoc terra, vt ea subsint, quæ ab ipsa nascuntur, & pa-

ſcuntur: & cum hoc ſublime, & aërium, vt in eo generentur, quæ generãtur. Quoniam igitur in quoque ſegmento conſtitutum eſt aliquod genus aliis præcellens, in cælo quidem, deorum genus: in terra vero, homo: & in ſublimi & aërio loco dæmones, neceſſe eſt hominum genus eſſe perpetuum: ſi quidem illud quod dicitur, verum eſt, non ſolũ partes, ſed etiam quæ partibus continentur, cum mundo eſſe. Corruptiones autẽ, & mutationes terræ violentæ fiunt in partibus, aliquando mari ex altera parte confuſo: ipſa terra dilatata, ac diducta vẽtis & aquis clanculum irruentibus. Omnino autem abſoluta corruptio eius, quæ circa terram eſt, ordinatæ deſcriptionis, neque fuit, neque vnquã erit. Quamobrem & iis, qui Græcæ hiſtoriæ principium ab Inacho Argiuo eſſe dicunt, ita mentem adhibere conuenit, non tanquã ab aliquo primo principio ſed mutatione tum facta. Sæpe etenim fuit & erit barbara Græcia, non ab hominibus modò ſolũ vertere coacta, ſed etiam ab ipſa natura, non maior ipſa quidem, nec minor facta, ſed aliud ſemper atque aliud ad nos ſumens initium. Verum de toto, ac vniuerſo, tum de generatione etiam, & corruptione, quæ fit in ipſo, quòd ita ſe habeant, & in perpetuũ habitura ſint, partim quidem natura cum ſem

per sit nobilis, partim verò patibili, partim etiam semper gubernet, & partim gubernetur, his à me satis demonstratum est. Sed de mutua hominum ex hominibus generatione, & quomodo, & ex quibus, rite ac legitime futura sit, ad hæc si temperantia adiuuet atque sanctimonia, rectè habere opinor. Primum quidem hoc cognoscendum, quòd nõ voluptatis, sed liberorum procreandorum gratia congredimur. Euenit enim vt virtutes ipsæ, & instrumēta, & cupidines ad coitum hominibus à deo datæ, non voluptatis gratia sint datæ, sed ad perpetuam speciei conseruationem ac permansionem. Nam, quandoquidem fieri non poterat, vt mortalis natus diuinæ vitæ consors esset pereunte generis æternitate, id singulatim deus suppleuit, hac iugi atque perpetua generatione. Hoc igitur vnum oportet primum perspicere voluptatis causa coitum non esse. Deinde homini ad vniuersum eam esse constitutam ordinationem, vt cum sit pars non domus tantum & ciuitatis, sed mundi etiam, supplere debeat quidquid horum intermoritur, si modo velit, neque cognati laris desertor haberi, neque ciuilis neque diuini. Nam qui planè, non ad filiorum procreationem coëunt, societates præstantissimas iniuria afficiunt. Quòd si tales, cum procacitate, & inconti-

nĕtia generabunt, flagitiosi, & infœlices futuri sunt gnati, diis, dæmonibus, hominib⁹, familiis, & ciuitatibus inuisi atque detestabiles. Hæc igitur ante cogitantes non oportet re vti venerea brutorum more, sed vt necessarium & bonum ducĕtes. Quod quidem ob id necessarium, ac bonum opinantur esse viri probi, non solum vt multis viris augeantur familiæ atque maior terræ pars repleatur (mansuetissimum enim & optimum animalium est homo) sed etiam quod potissimũ, vt à bonis viris colatur. Ob hanc enim causam, & bene legibus institutas ciuitates habitabunt, & proprias domos rite gubernabunt, & ipsis amicis tum in reb. publicis tum in ciuilibus actibus, benigne faciunt, quando non tantum hominum multitudo, sed etiam fortitudo existit. Vnde complures aberrant, qui nuptias contrahunt nõ pro modo status & fortunæ, neque pro reipub. commodo, sed & ad opes, & ad generis præstantiam respicientes. Nam pro iuuencula & formosa, decrepitam ducunt: & pro vnanimi ac compari, genere claram atque prædiuitem. Ergo pro concordia discordiam, & pro consensu dissidium struunt, de principatu inter se digladiantes. Nam quę diuitiis, & genere, & amicis excellit, marito vult præter naturæ legem dominari. Ipse verò meri-

to contendens, neque secundus, sed primus esse cupiens, imperium assequi non potest. Vnde fit, vt non familiæ solum, sed ciuitates etiam infœlices euadant. Partes enim ciuitatis sunt familiæ. Ex partibus autem constat vniuersi compositio. Est igitur probabile, vniuersum esse tale, quales sunt ipsæ partes, ex quibus constat. Et in primis verò primæ structuræ magnopere faciunt ad bene, maléve totum opus conficiendum, vt in domus confectione, fundamenti positio, & in nauis fabricatione carina atque in concentu ac modulatione tenor & vocis sumptio. Ita & in repub. bene legibus instituta, & rectè administrata, familiarum constitutio, ac cōpactio maximopere confert. Hæc igitur oportet eos, qui de generatione meditantur, facere. In summa autē, ne quid dissimile atque inchoatum sit, cauendum. Neque enim imperfectæ plantæ, neq; imperfecta animalia fœcunda sunt. Sed quodam tempore ad fœcunditatem opus est: vt ex robustis, & integris corporibus semina, & fructus oriantur. Vnde pueros, & virgines decet in exercitationibus, honestáque tolerantia educare, atque alimentum quod industriæ vitæ, temperatæ, & toleranti congruat, adhibere. Multa sanè ad humanam vitam pertinent huiusmodi, quæ quidem optimum sit

Græcum habet λῆψις. vide an melius λύσις .i. remissio legatur.

iam natu grandem discere. Quamobrem, quod ad rei venereæ vsum attinet, sic puerũ institui oportet, vt talem vsum non appetat, antequam annos viginti natus sit: sed & vbi iam vti cœperit, raro deinceps vtatur. Id autem fiet, si rem bonam, ac preciosam esse duxerit, bonam corporis habitudinem, & continentiam. Hæc porrò iura in Græcorum ciuitatibus edocenda sunt, vt ne quis cum matre coëat, neque cum filia, neque cum sorore, neque in sacris, neq; in apertis locis. Pulchrum enim est, & vtile plurimis, id facinus interdictis prohibere. Sunt autem vt vniuersim dicam, præcidendæ quæ præter naturam sunt, generationes, & quæ non sine contumelia exercentur: illæ verò relinquendæ, quę secundum naturam, ad filiorum sanctã, legitimamque, procreationem, cum modestia fiunt. Oportet rursus eos qui liberis gignendis operam dant, futuræ prolis rationẽ ducere. Imprimis igitur ad generationem, ei, qui liberos procreare intendit obseruetur, modesti salubrisque victus ratio: vt neque importuni nutrimenti copia vtatur, neque ebrietate, neque alia quauis perturbatione, quæ deteriores efficit corporum habitudines. Omnium verò maxime est obseruandum, vt coitus fiant mente confirmata. Ex prauis enim discordantibus, ac turbulen